

Typis Ioannis Busæi Coloniæ An. 1662.

Apoſtolus 1 *Cor.* 1. *v.* 10.

Obſecro vos Fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

MEDITATA CONCORDIA PROTESTANTIUM CUM CATHOLICIS IN UNA CONFESSIONE FIDEI, EX S. SCRIPTURA DESUMPTA.

QUAM IN COMITIIS ELECTORALIBUS S. R. I.
ANNO M. DC. LVIII.
AB UTRAQUE PARTIUM,
HINC ATQUE INDE, GEMINO EXEMPLARI
VULGATAM,

Nunc operâ & studio subconciliavit

P. JACOBUS MASENIUS
SOC. JESU,

iteratóque
Obtulitque, ac submisit,

S. D. ALEXANDRO VII.
PONT. MAX.

TUM SUMMIS PER EUROPAM ET S. R. IMPER.
PROTESTANTIUM PRINCIPIBUS,
ET LIBERIS IMPERII URBIBUS,

Nunc in aliis Comitiis Ratisbonæ collectis:

UT SOCIATIS IN VERA RELIGIONE ANIMIS,
SIT OMNIUM
Unum ovile, & unus Pastor.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM, sub Monocerote.
ANNO 1662.

AUGUSTINUS DE GENESI AD LITERAM.
Lib. 1. cap. 21.

CUm divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanctitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimùm eligamus, quod certùm apparuerit eum sensisse, quem legimus. Si autem id latet: quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest; saltem id, quod sana fides præscribit.

S. P. N.

ALEXANDRO VII. PONTIFICI MAXIMO.

VIxisti, vidistique, *Sanctissime Pater*, optatissimum Tibi pridem tempus, quo Europa universa, conciliatis adversantium sibi Regum armis, communi ferè Christianorum Principum concordiâ fruitur, civilique in pace acquiescit. Quantum ad hanc rem laboris vigiliarúmque contuleris, vel Legatus olim Apostolicæ Sedis, vel ejusdem maximè cum suprema potestate in terris possessor, non attinet commemorare, orbique tantarum rerum conscio, prodere: illud prædicationem, aliquantò etiam majorem promeretur, quòd graviores animum curæ subeant, ut & constans susceptæ per Europam tranquillitatis status esse possit, & juratus Christianorum hostis ad hanc nobis evertendam nequeat invalescere. Jam tantâ ille armatorum copiâ potentiâque, quantâ nunquam antea, Europæ imminere, totique Imperio metuendus fertur incumbere.

Nec pauca de cælis formidatæ calamitatis præludunt omnia: quando pio salubrique Majorum instituto Ecclesiam Europæam ad pietatis ac pœnitentiæ consilia jubilario indulto provocas, divinæque indignationis à nobis amovendæ remedia sufficis, & patrocinia victoriæ, adversus talem hostem sperandæ, subministras.

Verùm alia re non parum affligi Sanctitatis T. animum constat; quòd Christianam Ecclesiam adeò laceram, tantisque religionis dissidiis pugnisque divisam intuearis, idq; in Germania potissimùm, quam singulari, in reliquis nationibus amore cõplecti semper visus es. Et quidni hac clade doleas, Tecumque omnis, publici boni salutisque proximorum amator, ingemiscat; quando tantùm ex hoc fonte malorum, non in externas tantùm facultates, & corpora mortalium, verùm & in animas immortalemque vitam exundare, compertum est? Etenim hic ille humanæ salutis capitalis hostis, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, qui insidiis plures, quàm viribus occupat; blanditiis magis, quàm impetu pugnat; cupiditatibus frena laxat, ut mentem irretiat; libertatem offert, ut auferat; ac denique illecebrosa religionis obtentæ esca captos mortales detinet, ac modò per dissensionem, turbas, odia, bella committit, colliditque; fide & Deo, & hominibus violata: donec æterno denique præcipites exitio, in ultimam secum miseriarum abyssum devolvat.

Hanc sibi creditarũ ovium perniciem sentire perquam dolenter, Pastorem bonum, fas erit existimare, ut gaudere quibusdam ad Ecclesiæ Catholicę gremium receptis non mediocriter est cognitus. Tot claros Germaniæ Proceres, ex Serenissimo etiam prognatos genere, ac nobilem illam Aquilonaris sceptri Dominam, Christinam Alexandram, lætabundus ad Apostolicam Sedem redeuntem excepit, insignique benevolentia fovere dignatus est. Nec desunt, qui modò eodem aspirent, ac tanti Pontificis humanitatem exspectent, cujus ante magnitudinem detestati sunt.

Nec dubitem, quin multi eorum Doctorum, qui

agitata

agitata jam utrimque, exploratâque demum altiùs causâ, ſuum errorem intuentur, cum integris etiam urbibus ac nationibus, pleno agmine ad Catholicam veritatem redituri ſint: modò via ac ratio reverſuris honeſta pateat, ac citra fortunarũ honoriſque, ut putant, inter ſuos diſcrimen, exitus ad rem conceptam opportunus aperiatur. Viris Principibus ad hoc, ut major, generoſiorque animus, ita & tranſeundi libertas, facultaſque eſt amplior: nec humilioribus ipſi ſe cogitationibus, explorata jam veritate, adſtringi patiuntur. Tantus enim fuit in muliere heroica Chriſtina animus, ut exulare regno, quàm orthodoxâ mallet Eccleſiâ, & tot opum, potentiæ, ac honoris, quàm ſalutis periculum ſuſtinere. Digniſſima ſceptro, quòd ſic viſa eſt ſpernere: exemplo omnibus heroibus, etiam principatuum, regnorumque poſſeſſoribus, propoſita viris mulier, & Regibus Regina. Quæ in cælo reponere honorem illum maluit, quàm in terris pro Deo, religione ac ſalute non deponere. Spero tamen, in vulgari nobilitate, ac plebe, non defuturos tam egregii facinoris imitatores, qui errore, quo tenentur, agnito: obſtacula, quæ caro ac dæmon luctantibus injicit, perrumpent, atque ad Eccleſiæ, ſummique Paſtoris gremium, ſua ſalute, aliorum plauſu, læti advolabunt.

Quam ob rem, ut explorata, totoque vulgata orbe veritate, citra metum pudoremque, ipſa S. Scriptura (quam præ ſe omnes ferre profitentur) ſuffragante, cum honore ac gratulatione bonorum omnium, ad Romanos tranſeant: hanc Confeſſionem ex verbo Dei, in articulis controverſis fidei, ab utraque, hinc Catholicorum, inde Proteſtantium conceptam parte, & in publicis Comitiis, pro totius Imperii notitia, vulgatam, nunc examini ſubjectam noſtro, &

exili commentario illustratam, denique Tibi supremo Ecclesiæ in terris Pastori Christique Vicario sistimus, parvam illam quidem, paucisque exaratam verbis, sed ad eliminandum errorem hæresum, inculcandamque orthodoxam veritatem, sufficientibus. His accessit brevis fundamentorum, quibus adversarii malè subnituntur, excussio; ut ex sua fragilitate nostræ fidei robur æstiment, & errare desinant, cùm adeò manifestè deprehenduntur.

Protestantium hoc votis principiisque detulimus, ut ex sola tantùm Scriptura, hac in Confessione, loqueremur. Quâ solâ cùm apertè etiã vincimus ad illam provocati, æquiores ex illis, ad hanc simul concinnandam, suam nobis operam manumque exhibuerunt, ut sperem, (nisi omni præsidio destituti, in sola demum pertinacia hæreant) propediem tanta luce veritatis excitatos, ad suam optimos quosque Protestantium salutem redituros. Hoc omninò non possunt, nisi ad ovile Christi, Pastoremque summum, in petra Romana vigilantem, transeant. Ideoque ad Tuam Sanctitatem, hanc velut prodromam Epistolam, spei conceptæ nuntiam, simul cum utriusque partis Confessione, destinare visum est, ut cœpti operis cursus tanto patrocinio faciliùs provehatur, tantaque autoritate, apud timidè etiamnum de veritate sentientes, pondus habeat.

Audimus, ac tota inter nepotes loquetur posteritas, quantum à te Romanæ Urbis non tantùm sacra & templa, verùm & Urbs universa ornamentũ acceperit, quantum in plateis ad novam faciem instructis decus, in fontibus excitatis amœnitatem, in ædificiis magnificentiam, in porticibus amplitudinẽ. Narratur quantum Romanis fueris in cõmuni fame præsidium,

dium, in peste solatiũ; inde frumentis, hinc remediis providè largèq;, suppeditatis. Prædicatur Tua in Societate JESU ad Venetos reducenda felicitas, quando hanc illis, illos huic, pristino favore ac benevolentia, post obliterata Veterum decreta, postliminiò conciliasti. Laudatur illa Tua erga hanc remp. liberalitas, quâ bello gravissimo pressam non solum milite, verùm classe argentoque etiam sublevasti.

Quæ aliaque, cùm ad mensuram famamq; Magni, quod geris, Nominis implendam spectent, tum nihil gloriosius evenire poterit, quàm ad orthodoxam religionem, & repositam in una fide Catholica salutem reduxisse quamplurimos. Nonnulla, ut humanissimus Princeps, alia ut liberalissimus donator, quædã ut egregius tuorum propugnator, hoc maximè ut vigilantissimus Pastor effecturus es. In ceteris patria atque Ecclesia suum Te Patrem, in hoc etiam Servatorem dictura est; illic temporaneam multis felicitatem, hic æternam etiam contulisse videberis.

Sed quorsum hæc à Tua Sanctitate postulo, quæ omnibus eam votis curisque spectare non ignoro? Gaudent egregiâ cupientium animi, hoc etiam à se exigi, quod maximè desiderant, non tam ut ad magna invitentur, quàm quod illis exequendis, aliorum quoque judicio habeantur idonei. Nihil est, quod Protestantium hactenùs in Catholica religione magis oculos offendit, indignantesque avertit animos, quàm tanta in Ecclesiæ nostræ capite majestas atque autoritas. Hanc gravissimis semper proscindere calumniis, violare injuriis, elatoque supercilio despicere comperti sunt, & quem vicaria Christi dignitate ornari videbant hominem, hunc immani odio, in horrendam Antichristi imaginem, fictis coloribus transformare conati sunt. Exemisti hanc multorum,

Tua prudentia,æquitate,humanitate,pietate, ceterisque virtutum ornamentis, in Te perspectis Germanorum Principũ animis opinionẽ: sive illâ, quam ex te præsente hauserunt, integritatis experiẽtiâ: sive illâ, quam absens constanter tueris, vitæ ab omni religione illustris fama: ut intra seculum, quo hæc Ecclesiarum divulsio in fide nata est, in primis ad hanc conciliandum aptissimus videaris.

Patere igitur, Sanctissime Pontifex, hanc Meditatæ Concordiæ, in una Confessione, rationem, ad Tuos deponi pedes, Tuoque & Ecclesiæ totius arbitrio subjici; ut, hac famulante, Te Duce ac Promotore, optata diu pax & concordia Religionis, in præcipua Europæ sede, Romano Imperio, ad tam apertam Veritatis lucem, quam nec ipsi adversarii, quantumvis obluctantes defugere poterunt, post afflictam diu Germaniam Septentrionemque universum, reducatur Summus Ecclesiæ Pastor, Christus Jesus, cujus vices in terris sustines, ad hoc vitam felicitatemque largiatur.

Ita vovet speratque.

Sanctitatis Tuæ

Cliens infimus
I. M.

AD

PRÆFATIO.

AD PROTESTANTIUM TOTIUS EUROPÆ PRINCIPES;

IN PRIMIS TAMEN

ROM. IMPER. ELECTORES PRINCIPES ET URBES EJUSDEM IMPERII LIBERAS.

INprimis vos omnes, *inclyti ac Sereniſſimi regnorum ac Provinciarum Domini,* demiſsâ veneratione, obſervantiaque, quâ poſſum in Chriſto maximâ, compello, ſummi Proceres, dilecta Servatoris noſtri pignora, animæ pretioſo ejuſdem ſanguine redemptæ, publicæ vos privatæque ſalutis veſtræ cauſsâ ſupplex convenio. Hoc oro obteſtorq;, ne in præſenti quo ſtatis æternæ felicitatis diſcrimine, vos animaſque immortales veſtras, tot ſubditorum vobis populorum ſalutem, regnorumque ac provinciarum, in una ac vera fide potiſſimum ſubnixam quietem, negligatis. De præſentis non minus, quàm futuræ vitæ incolumitate ſuſcepta deliberatio eſt, cùm de vera religione diſceptatur: qui hanc amiſit, utraq; excidit. En *Meditatam in una Confeſſione Concordiam,* quam ſi admittitis, gravis illa, niſi fallor, religionum procella, & jactatio Eccleſiarum regnorumque ſubſidet, error deponitur, ſpes redit unitatis.

Non poteſtis hanc, ſalvâ exiſtimatione atque integritate veſtrâ, rejicere: quia ex veſtris legib⁹ ac principiis concepta eſt, veſtrâ ſimul, ac divinâ autoritate nititur. Quare non tã mihi exorandi eſtis, ut admittatis, quã ut agnoſcatis jam dudũ admiſſam. Si enim hæc veſtra profeſſio eſt, ex verbo Dei ſcripto minimè dubiam veritatem erũendã eſſe, reformandámq; Ec-

cleſiam

clesiam & si vestræ denique Ecclesiæ, in hac Confessione, ex utriusque partis voluntate concipienda, labor deprehenditur, si tanta veritatis vis ac pondus est, ut Doctorum Pastorumque vestrorum conscientia obniti, nec potuit, nec debuit. Si denique tam æquis hæc Confessio defertur legibus, ut quidquid ex clara disertaque Scriptura, excluso omni hominum verbo, juxta veteris probatæque omnibus Ecclesiæ sensum, adjectum fuerit, hoc nequaquam repudiandum existimemus: profectò qui tam æquas concordiæ unitatisque Ecclesiarum conditiones repudiaverit, is & privatæ & publicæ salutis contemptor jure erit existimandus. Quod cũ à nemine vestrûm, qui quidem sapientem Christianoque dignam homine mentem sortitus fuerit, exspectare possim: quin etiam tantùm mihi à vestra æquitate studioque divini honoris polliceri ausim; ut multos huic operæ meæ fautores adjutoresque accessuros sperem, quod illo suo conatu, nihil magnis Regibus Principibusque dignius, nihil ad communem salutem utilius, nihil ad immortalem nominis gloriam illustrius cogitare queant, ac perficere.

Manifestus hic exitus à controversiis hoc tempore de Religione, tanta terrarum, & animarum clade susceptis, aperitur. Ut enim apertissima Catholicæ fidei veritas pateat universis, arma cetera pro defensione ponimus omnia, & juxta Protestantium atque Ecclesiæ illorum postulata ac principia, ex solo Verbo Dei scripto, in proposita utriusque partis Confessione, progredimur, atque ad oculum demonstramus, Catholicos ex sola Scriptura S. suos abundè articulos claris, expressisque probare verbis, & quidquid suâ Confessione Protestantes adjecerunt, ex S. iisdem literis, nihil officere; adeoque teneri illos,

etiam

etiam juxta professionem propriam, ad nostras partes, veritatēque, à qua malè divulsi sunt, reverti.

Qua in re *Serenitatum Vestrar.* judicia non defugimus. Neque difficile illis futurum est, juxta leges etiam religionis propriæ, si ad S. Scripturæ conformitatem singula exigant, hujus propositæ Confessionis inconcussam, & solaribus quodammodo illustratam radiis veritatem agnoscere, nullo alio ad hanc causam arbitro postulato.

Verùmtamen, quia neque vestrarum Universitatum ac Doctorum judicia aversamur, imò deposcimus, ac si etiamnum restitent, & neque subscribant, neque contradicant, tanquam adversarios veritatis, Dei ac veræ religionis hostes, patriæ ac tot innocentium, qui se iis credunt, animarum proditores, jure proclamamus, & cum bonis omnibus detestamur: hinc omnes communis salutis cupidi, desiderantesque, ut in visceribus charitatis Jesu Christi, & unitatis fidei nos rursum in Rom. Imperio, atque adeò in Europa, si fieri possit, universa complectamur, *Ser. Vestras* supplici hac obtestatione convenimus, utque quilibet Doctores, atque Academias sibi subjectas, vel ad subscriptionem Confessionis hujus, vel ad emendationem ejusdem, (siquid erroris contineat;) idque juxta professionem reformationis suæ, ex solo apertoque verbo Dei (omni hominum verbo submoto) impellat: & nisi ex præscripta illud formula præstent, tanquam erroris magistros, & pertinaciter veritati divinæ obluctantes, sua ab Ecclesia proscribant, si cum errantibus errare, & pereuntibus æternùm interire noluerint.

Quam detestabilem infelicitatem, cum sanum neminem inter Protestantium Doctores, ne dicam Principes, aditurum sperem, habebimus, ut voveo

ac spero, rem hâc viâ expeditam, & promptam religionis inter optimos quosque concordiam, (neque enim pervicaces quoslibet huc adduci posse existimandum est) Qui tamen contradixerint, magis suum errorem prodituri sunt.

1. Enim conabuntur, adversus reformationis principia, è claro & obvio S. Scripturæ sensu, quem tota ante Lutherum possedit Ecclesia, per ratiocinationes hominum deflectere.

2. Alii ad Patres volent recurrere, quando de sola Scriptura agendum est, præpostera semper agendi via, ut aliquod, quo subterfugiant diverticulum reperiant; cum tamen statuant ipsos Patres ex S. Scriptura judicandos esse. Quâ vertigine, pro sui defensione, quid potest turpius reperiri?

3. Alii syllogismis fallacibus maléq; ductis consequentiis pugnare volent. Sed irrito labore ac inutili fatigatione lectoris; cum certum sit, non posse conclusiones de fide, nisi ex S. duci Scriptura: quæ si in controversis articulis, pro Catholicis, & clarior & copiosior habeatur, manifestum est, ipsas etiam ex S. Scriptura consequentias, pro Catholicis futuras esse. Quisquis igitur Scripturâ clarâ & expressâ vicit, vicit & rationis consequentiâ.

4. Alii ad interpretationes & similium locorum collationes ita se conferent, ut in aliqua saltèm impingant vitia, quæ in Tract. 2. à me fusius exposita sunt. Verùm intelligent, præter solam analogiam veteris fidei dogmatumque Ecclesiæ (juxta quam ex S. literis præsentem Confessionem proposui) nihil esse, cui sine discrimine erroris tutò niti possint. Qui tamen, per regulas rectæ interpretationis, suam cum S. literis conformitatem probare potuerit, hunc libenter audiemus. Supervacuus tamen hic ipsius

ipsius labor futurus est, cùm Scriptura illa, ad quam velut normam certissimam sua expendet, nobis sola possit sufficere; quod clarissima apertissimaque esse debeat, in qua ultimò fidelis tutâ possit conscientiâ acquiescere, ut quæ doctrinam illam, de qua sententiam pronuntiat, velut conformem sibi debeat continere.

5. Alii denique discursibus in speciem honestis, implebunt volumina integra, difficultates levi pede transilient, fingent, aut certè jam dudũ causa adversariorum figmenta in Catholicos producent; ut vel declinent objectos sibi, nec superabiles ex S. Scriptura scopulos, vel certè aliò lectorem divertant, & à veritatis cognitione abducant. Hi perversorum conatus erunt, quos responso nullo, nisi fortè censurâ brevi, ad cautelam proborum dignabimur.

Quibus tamen inter syncerae mentis homines satisfactum nondũ fuerit, hi siquid adversus obtendent, paucis Scripturæ verbis Confessioni nostræ pro sua parte appositis, rem totam conficient; atque in ceteris, quibus invincibili pondere argumentorum premuntur, sese impares esse agnoscent. Verùm his amicis disceptatoribus illud cordi esse velim, ut Universitatis alicujus, vel Ecclesiæ, aut congregationis certæ, suique Principis autoritate muniti prodeant. Non enim contra quemvis privati ingenii sensusque venditatorem nobis calamum sumere integrum est, qui totius Ecclesiæ Catholicæ judicium exponimus opponimusque, damnaturi vel apicem minimum, qui illi adversabitur; Sed Ecclesiam Ecclesiæ componemus, aut secùs acturos responso judicabimus indignos. Confessionem itaque Protestantium, quæ in publicis Comitiis vulgata est, in oculis ac præsentia capitum religionis & Imperii, dignam censuimus,

quæ

quæ in æstimatione ac censu illorum haberentur scriptorum, quibus Protestantes inprimis niterentur, suamque toti Imperio mentem proderent.

Sed quandoquidem inter Doctores Pastoresque Protestantium multos à Confessione veritatis deterrere poterit, fortunarum quibus in præsenti statu fruuntur jactura, æquum erit, ut Protestantium Principes omnibus Veritatem liberè ex S. Scriptura professuris, æquam compensationem bonorum in aliis possessionibus, sive opibus deferant, ne rectè agendo iniquam jacturam patiantur.

Hac tamen in causa, si aversi à veritate Principes, (quod sperandum non est) minus æqui futuri sint, Deus ex liberalitate Catholicorum Procerum imperterritè Veritatem professis amanter providebit. Quos defuturos non sperem, donec plerosque alios ad saniorem mentem, salutemque revocatos, in unum Christi ovile colligamus. Quod Deus Opt. Max. Imperio Ecclesiæque Christianæ tribuat, ne per tot sectas erroresque impiè divisa, illa denique calamitate opprimatur, quâ Orientis Ecclesia per hæreses dissipata, miserè interiit. Utinam multi expenderent, quibus occasionibus illæ per Imperium, Sueciam, Daniam, Hollandiam, Angliam, hæreses natæ sint, quas ubique turbas dederint, quamque breve in exitium fautores suos abstraxerint, profectò majori cura ac studio ad pristinam Ecclesiæ unitatem adspirarent! Repeto, *Utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent!*

Summis Imperii Electoribus, à quorum subditis hujus olim dissensionis in fide, per Imperium vicinasque regiones pestis sparsa est, maximè hæc proposita esse cupio: ut ex illo rursum fonte salus manet, ex quo malè infecto labes manavit. Imperialium verò urbium Proceres huic facillimè consensioni manus porrigent, quæ egregio illud etiam publicæ privatæque salutis bono facturæ sunt, arctissimè hoc inprimis vinculo contra vim omnem suo jungendæ capiti, pristinamque adversus insidiatores omnes libertatem defensuræ. Et si me paucis his verbis monitorem audierint, olim intelligent, quanto illud temporali bono suo, quanto æternæ salutis commodo præstiterint.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS.

COPIA SUPPLICATIONIS, QUAM AMORE CONCILIANDÆ PER GERMANIAM RELIGIONIS, PARS UTRAQUE, HINC CATHOLICORUM; INDE PROtestantium, concepit simul, & obtulit IN COMITIIS ELECTORALIBUS ROM. IMPETATORIS FRANCOFURTI ANNO M. DC. LVIII.

Nunc rursum in *Comitiis Imperialibus* proponit.

AUGUSTISSIMI, SERENISSIMI, GRATIOSISSIMI &c. DD.

SUpplici Vos demissáque veneratione amore salutis pacisque omnium, patriæque ac Rom. Imperii bono incitati, accedimus, obnixisque hoc precibus contendimus, ut in rebus ad fidem spectantibus, illa inviolatè tenere liceat, quæ claris explicatisque S. Scriptura nobis verbis proponit, & per tot retrò sæcula, in primæva Patrum antiquorum Ecclesia, in communi obvioque sensu accepta, usuque longo firmata sunt. Tum verò, ne novitiis, privatique sensus Doctoribus illa fiat interpretandi libertas, quæ proprio omnia judicio ac voluntate definit, Scripturasque divinas pro arbitratu partim admittit, partim rejicit. Quâ re antiqua Germanicæ nationis, Romanique Imperii, concordia magnopere perturbatur, conscientiarum quies tollitur, animorum diffidentia alitur, pax terrarum convellitur.

 Quod

Quod quàm periculosis hisce temporibus sit necessarium, quibus præter alia discrimina, juratus Christianorum hostis Turca nobis incumbit, nemo non intelligit. quanquam omnem infelicitatem reliquam longè vincat, tot animarum christianarum interitus, qui ex hac Ecclesiæ regnique Dei dissipatione nascitur, cùm *unus Deus, unum Baptisma*, una Ecclesia, *una Fides* sit, *sine qua impossibile est placere Deo.*

Quocirca non tantùm ad Vos, Maximi Principes, sed pro vestra etiam pace ac salute, demissa hac supplicatione accedimus; spe summâ freti, nos minimè in ejusdemodi postulatione repellendos, quæ res gravissimas, hoc est, animarum nostrarum, totiusque Rom. Imp. præsentem æternamque salutem complectitur. Præsertim cùm summæ injuriæ sit, quod S. Scripturam in claro illo, quo à Deo est tradita, sensu, à veteri Ecclesia, primisque Patribus, ex ore Apostolorum accepta & intellecta, nos minimè usurpare patiantur.

Hæc quandoquidem DD. VV. singulatim proponenda esse duximus, ut intelligerent, in quibus articulis S. Scriptura nobis, vel subtrahatur, vel evertatur, tantisque facilius malis, & abusibus Doctorum, possint occurrere; hîc per capita, ac particulatim, hanc solam doctrinam, & (quantum licuit brevissimè) ipsa verba Scripturæ S. tanquam vocem ac testificationem divini Spiritus, adducere placuit. Sperantes fore, ut tam Protestantium, quàm Romanorum Ecclesia, Verbum Dei in communi sensu acceptare minimè gravetur: nisi à propria illi semperque usurpata professione, hi à sua quoque religione deficiant.

Illud verò speciatim ad conscientiarum nostrarum, hac in re, quietem demissè postulamus.

I. Ut Pastoribus ac Doctoribus omnibus, tam Ecclesiarum, quàm Universitatum imperetur; ne eorum quisquam Verbum dei, privata sua opinione ac doctrina, ab antiqua communique primorum Patrum sententia, quam ab ore Apostolorum tradendam nobis hauserunt, detorquere conetur.

II. Ne Scripturæ S. interpretatio, per aliam scripturam toleretur: nisi simul constet, atque infallibili ex S. Literis demonstratione evincatur, locum qui ad expositionem assumitur, huc à Spiritu S. illa definitione sensus destinatum esse. Aliàs securâ in illo conscientiâ acquiescere non possumus, præsertim si antiquæ hucusque Ecclesiæ diversus sensus fuerit.

III. Ut

III. Ut quæcunque Universitates, Verbum Dei in his articulis propositum, in communi hoc sensu admittere, eidemque subscribere, atque in hanc veritatem jurare cogantur. Aut invincibili demonstratione ostendere, verbum Dei his minime contineri. Quod si præstare detrectaverint, tanquam hostes divinæ veritatis, ac seductores populi habeantur & declarentur.

Interea his protestamur, primò quidem, quòd si quid in hisce articulis minus conforme verbo Dei insertum videatur: nos illud solum, juxta clarum Scripturæ sensum, proponi atque intelligi postulemus; parati, si cubi aberratum esset, correctionem æquam admittere. Secundò, quòd etiamsi in tanta multitudine seductorum Germanorum simus incogniti: nihilominus universè, præsentis æternæque salutis desiderio, etiam tacentes, oremus, ut unum Pastorem, & ovile unum liceat impetrare.

Quòd si verò id tam æqua postulatione ab iis, quibus ex officio hæc cura à Deo imposita est, non audiamur, neque ad propriæ communisque salutis bonum promoveamur, jure universi, còram ultimo supremoque Judicis tribunali, in conspectu orbis totius, nos malè desertos esse, conqueremus. Quod à nostrisque Superioribus avertat ille, qui humano generi redimendo missus à cælesti Patre in hunc mundum venit Jesus Christus. Amen.

OBSERVATIO I.

De hujus supplicationis origine, & causis postulationis.

Cum divina miseratione & providentia multis Protestantium (ita enim universè, qui se Evangelicos, aut etiam Reformatos appellant, nuncupamus (aperiantur oculi ad errorem, in quo versantur, & ad veritatem, salutemque, quam desiderant: intelligantque verbum Dei scriptum, ad quod specioso hactenus titulo, ductores Doctorésque Religionis suæ provocarunt, adeò illas, quas tuentur, partes destituere; ut quos fidei suæ in Confessionibus vulgatis proposuerunt articulos, hos principio quidem nonnullis S. Scripturæ dictis fulcire viderentur: at denique S. Litteris accuratius per adversarios excussis, productisque; nihil solidè atque inconcussè;

adverſus veterem Eccleſiæ doctrinam, ſtabiliant. Imò verò huc denique imbecillitatis recidiſſe comperti ſint, ut qui nil niſi clarum diſertumque Dei verbum in ſuis ſe Confeſſionibus proponere jactarent; nunc demum provocati ab adverſariis centies, ut vel unicum ſuæ Confeſſionis articulum, illâ, quâ Romanæ Eccleſiæ doctrinam manifeſtè evertit, parte, ſacræ Scripturæ verbis minimè dubiis controverſiſque exponant, id nunquam præſtiterint, multorum licèt probris hactenus laceſſiti: cùm tamen hoc per omnes universè oppoſitæ doctrinæ titulos, ſummo jure præſtandum ſit.

Quare etiamſi Romani ad ſolam Scripturam S. claris apertiſque verbis differentem minimè provocent; ſed agnoſcant plures ambigui incertique ſenſus, in ipſis etiam ſymboli Apoſtolici articulis, ſententias occurrere: ideoque, pro definito illorum ſenſu, ad perpetuam Eccleſiæ, Doctorumque illius interpretationem confugiendum eſſe tradant: tamen quibuſdam ex illis viſum eſt, placuitque melioris etiam mentis Proteſtantibus experiri, utra partium clarioribus, magiſque pro ſua Confeſſione expreſſis ſcripturis niteretur, ideoque operæ pretium judicavi fore, ſi quæ in controverſis maximè fidei punctis, propter quæ ſcinduntur Eccleſiæ, prodiret Confeſſio ſolis S. Scripturæ verbis concepta, in quam utraque pars conſentire teneretur. Nam ex hac manifeſtum erit, quænam illarum ad verbum Dei ſcriptum clarumque propius accedat. Quòd ſi verò talis Catholicorum deprehenderetur eſſe, quæ Romanæ Confeſſionis, expreſſos in Concilio Tridentino articulos, diſertiùs, quàm quævis aliarum partium oppoſitæ Confeſſionis ſuæ dogmata proponeret: jam tum amplius dubium nulli etiam Proteſtantium futurum, inter tot diverſas Chriſtianorum Eccleſias ſolam Romanam incorruptæ veritatis (quæ penès aliquam Eccleſiam ex promiſſione Chriſti ſupereſſe debet) poſſeſsionem rectè tueri. Nam ſi illæ, quæ ad ſolum Verbum Dei ſcriptum clarumque provocant Eccleſiæ, vincantur per hoc ipſum ab ea, quæ cætera ſuæ propugnationis præſidia deſerit, ut pro arbitrio adverſariorum tantum in hac arena comparear, quid reliquum eſt, niſi ut illi veritatis ſalutiſque causâ in hujus denique partes lubentes volenteſque concedant, plus gloriæ habituri, dum piè ſuccumbunt, quàm cùm perverſè obluctantur.

His igitur rationibus inducti ſumus, ut ſupplicatio primùm

primùm his verbis, atque ad illos fautores adjutoresque propositi destinaretur, quam nulli adversarum partium jure possent aspernari. Quare utrimque admissa fuit, & quibus verbis à Catholicis concepta est, typisque excusa, ac Francofurti in electione oblata, in aula Leopoldi Regis, Proceribus, aliisque etiam Principibus mense Aprili an. 1658. iisdem à Protestantibus recusa, & passim communicata etiam fuit, mense Junio insequenti.

Et quanquam politicæ id temporis rei difficultates, non paterentur de Religionis controversiis componendis solidas cogitationes Proceres Rom. Imperii illic congregatos suscipere: neque Catholicis sine Rom. Pontificis consensu, de illa conciliatione gravius quicquam tractare fas esset: tamen ad prælibandam quandam compositionis rationem methodumque hæc res utrimque à communis salutis amatoribus suscepta est, & præfatæ supplicationis leges, magna spe reductionis multorum Protestantium, ad Romanæ Ecclesiæ gremium, admissæ.

Fuerunt inter hos deinde, qui, ut faciliorem sibi, aliisque post se accessum ad hanc sternerent Ecclesiam, judicarunt convenire, ut summus Pontifex cuivis facultatem sub utraque specie S. Synaxin accipiendi faceret. Quam postulationem licèt Romana Sedes justis de causis admittere nonnunquam visa sit; tamen meritò difficilis est, quando vel hactenus rectè usurpato ordini metuit, ne temerè dissolvatur: vel etiam reformidat, ne quorundam sub hoc indulgentiæ velo error obtegatur. Verùm isti, si ex veritate sentiant, nullum esse hujus præcepti, quod ad omnes etiam laicos pertineat, invincibile ex Scripturis argumentum (ut verè nullum esse; ex S. Literis universè collatis, infra patebit) quid est, cur libertatem suam obligari cupiant, atque ex hoc solum desiderio sibi poni obicem ad ovile Christi subeundum, patiantur? illi dæmonis laquei perfringendi sunt. Satis cuilibet in S. hac mensa esse debet, toto Christo, hoc est illius carne & sanguine sub una etiam specie, satiari. Dedant se Ecclesiæ orthodoxæ voluntati, deinde etiam facilius quod sperant, si tamen velle non desinent, assecuturi.

Mirum verò nonnullos, pacis tam sanctæ obtrectatores, repertos in fece sectariorum fuisse, qui & verbis, & scriptis, typisque malignè hunc aspirantium ad priscam Eccle-

siæ unitatem conatum traducere sunt ausi ; ut chimæricam quandam, novámque ex utraque Protestantium & Catholicorum Religione coagmentationem suo in cerebro fabricati sint, eamque summos Europæ Reges Principesque, Romanorum Pontifice approbante, moliri finxerint, in qua scilicet Romana Sedes primas obtineret partes, & Papa summum quidem Caput in consiliis judiciisque, verùm tamen utriusque Religionis personis, velut in Spirensi Camera Assessoribus, præsideret, obortas verò de fide controversias, non nisi Scriptura S. judice decideret, libertatem Clero matrimonii indulgeret, Monachis tamen imperaret continentiam: quadragesimale jejunium in quatuor decimale converteret: Confessionis Sacramentum, & fidem purgatorii cujuslibet arbitrio resignaret. Præclara enim verò fides, quam aliquis ex Bacchi Venerisque schola neomysta conflasse videtur, cui multi pisces, thorus frigidus, calens purgatorium, ac nuda confessio parum placuisse credibile est. Quàm stulta hæc phantasmata! an existimant orthodoxam Ecclesiam in ullo unquam Religionis ac fidei receptæ articulo deflectere à veritatis linea, vel ungue lato, aut posse, aut debere? Hoc videlicet argumentum est, extra rectam veritatis consistere orbitam, quotquot adeò incertis Religionis viis fluctuant, & semel credita tam levi momento repudianda existimant. Certioribus proinde rationibus hæc causa nostra inter oppositas libratur partes; ut cum veritate utrasque subniti non posse compertum sit, exploremus utra ad alteram, erroris vitandi gratia, accedere teneatur.

OBSERVATIO II.

De admissis utrinque pro conciliatione, articulis & fundamentis, ex quibus indubitata nobis veritas potest illucescere.

I. TAm à Protestantibus, quàm Catholicis postulatur, ne in S. Scripturæ interpretatione, sensuque illius in rebus fidei controversis definiendo, suo quemque niti judicio, sententiámque Scripturæ pronuntiare liceat: verùm sanctorum Patrum, veterisque Ecclesiæ usibus atque expositioni communiter receptæ, insistatur. Quæ res quantum securitatis habeat, quàmque omnino ad veritatem explorandam necessaria sit, & quàm prudenter ab utraque partium admissa, singulari infra dissertatione exponemus.

II. Hoc

II. Hoc ipsa in thesi pars utraque agnoscit etiam: privatum hominem suo judicio ex S. Scriptura, inter oppositas de Religione dissidentium Ecclesias, non posse certò tutóque definire controversiam: cùm ad Patres veteremque Ecclesiam, hoc in casu, recurrendum esse sentiat. Hoc enim supervacuum, nisi illud incertum videretur. Planè verò incertum illud esse, quod in hodiernis controversiis ex sola Scriptura S. formatur judicium, postea invincibili demonstratione evincam, totique memet orbi probaturum confido.

III. Ut tamen sufficiens, convincénsque in veritate sola aliquando Scriptura sit, (ut fieri poterit, quando illi, quæ definiti sensus est, pro fundamento innitimur,) meritò eadem protestatio requirit, ut locus ille Scripturæ, qui ad expositionem alterius adhibetur, definito hoc, quo usurpatur sensu, ad illius explicationem destinatus à Spiritu S. demonstretur. Nam extra hanc certitudinem acquiescere prudens animus non poterit. Unde enim constabit, uter locorum per alterum, & an omninò per alterutrum alter sit exponendus? Neque enim quidvis explicandum per quidlibet: neque solum tradendum est, quis possit esse loci v. g. illius sensus: *Hoc est corpus meum*: aut *Caro mea verè est cibus*; sed quis esse debeat. Manifesta enim deliratio sit, per illa *Phase est transitus*, velle priora illa interpretari: nam hinc aliud nihil effeceris, quàm ut probes, per Tò *est*, aliquando *significat*, intelligi: quòd verò primo illud loco ita accipiendum sit, nulla hinc ducta demonstratione effícies, nisi antè evíceris ab hoc loco prioris expositionem sumendam esse. Hic Rhodus, hîc adversariis saltandum est. Ita locum alterum, de *carnis cibo*, spiritualiter intelligendum est, licèt antè de fide actum sit, nullâ sat certâ consequentiâ, in tam varia plenaque diversorum passim sensuum scriptura, unquam probabis. Jacet itaque omnis adversariorum in hodiernis controversiis, ex Scripturæ expositione, per Scripturam facta probatio; quia in hac probandi regula universi deficiunt. Provocavi ad hanc probationem nominatim plures in vernaculo libello Religions-Streit / in quo ex S. Scriptura adversarios erroris convici. Qui tamen silentio hæresin suam profiteri, quàm publica confessione veritatis expiare malunt. Deus illis meliorem, ad suam, aliorumque salutem, mentem injiciat: & si Libitina hoc votum intercepit, ceteris pari in discrimine positis, largiatur.

 OBSERV. III.

OBSERVATIO III.

Quemadmodum malevolorum in hac caussa hominum consiliis, ac pertinaciæ occurrendum sit.

CUm humana cupiditas adeò mentes animôsque mortalium excæcet, ut sæpè nec certissimè quidem cognita salutis præsidia amplectantur; mirum non est, si in explorata etiam hæresi plures subsistant, liberiori vitâ freti; excussoque continentis sacerdotii, confessionis, jejunii, aliarumque legum Christianarum onere, illic hæreant, ubi indomita persuasit voluptas. Sunt alii, qui suis in Rep. aut Principum aula, commodis, opulentisque possessionibus, aut officiis sese exuendos, admissa veritate, prævident: hos verò perfringere tam potentes laqueos, quàm rarum est!

Sunt deinde alii, inter Prædicantes Doctoresque Protestantium inprimis, qui licèt manifestè advertant, suam se tueri ex S. literis causam non posse, scientiâ tamen, arrogantiaque inflati, ne victi, confusique videantur, contra orthodoxam Ecclesiam, quibus possunt diligentiæ ingeniique viribus luctantur, & quam veritate nequeunt, calumniis mendaciisque invadunt. Hinc illæ de conculcatis in Romana fide Christi meritis, de honore Deo Opt. Max. derogato, & Sanctis tanquam Diis impenso, de idololatria, superstitione, Antichristianismo, ex illorum libris cathedrisque leguntur passim & audiuntur calumniæ, ut ignarum vulgus, his velut incantamentis occupatum teneant, avertantque; ne infrequenti suorum caterva stipati intereant. Quanquam tam infelicem sibi exitum plerique non augurentur: ut nemo sceleratissimorum etiam hominum facilè est reperire, qui sibi persuasum non habeat, viâ sese aliquâ dæmonis in morte laqueos evasurum. Quin invalescit illa nunc passim inter potentiores doctioresque homines persuasio, in sua quemque religione salvandum. Quibus proinde reprimendis, singulari postea demonstratione erit occurrendum.

Adversus ejuscemodi genus hominum veritate atque argumentis difficilè contenditur, quando obstinato animi proposito decreverunt nunquam credere; neque hanc submissio-

missionem patitur regnans in animo cupiditas, aut certè proprii judicii æstimatio. Nihil tamen ad eosdem infringendos potentius reperiri poterit, quàm manifestè contradicens Scriptura, ad quam velut asylum confugiunt, ut cupiditatis judiciique proprii turpitudinem, in illa Scripturarum ac sensuum varietate abdant: dum ut Augustinus ait: tract. 18. in Joan. c. 5. *Scripturæ bonæ, non benè intelliguntur*, velumque aliquod reperiunt, quo hæresin tueantur.

Quocirca tertium illud postulatum in supplicatione proposita rectè adjungitur, ut diversæ per Germaniam Universitates, vel ratione, vel etiam imperio adigantur; ut verbum Dei, per hanc Confessionem propositum, in communi obvioque sensu, qui hic elucet, admittant, subscribantque; aut certè invincibili demonstratione, verbum Dei hic minimè contineri, ostendant. Addo etiam, ut jubeantur suæ Confessionis articulos, ex Scripturis S. majori claritate & evidentia, quàm hæc præfert Confessio, exponere, ita tamen ut Scripturas S. adversariæ parti faventes non prætereant: nec suæ, dum has adferunt, interpretationis verba interponant. Id si negent, aut nequeant, solenni excommunicatione, tanquam populi seductores, nisi resipiscant, proscribantur.

Verùm ad hoc consilium, cum summo Rom. Pontifice, Caput & Principes Imperii, cujuscumque demum religionis, conspirare necesse erit, neque enim alter, sine alterius facilè ope ac favore exequetur. Quod si fieret, brevi totius orbis oculis manifestum esset, utra partium ex solius Scripturæ S. usurpatione succumberet, quæque ipsius præsidio, quàm fortissimè sese tueretur. Profectò si qua in re Principum, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium diligentia opus sit, hæc omninò est, ex qua tam præsens Imperii pax & felicitas, quàm vitæ, post brevissimam hanc, æternæ salus dependet.

(* * *)

PRÆMONITIO

De hac Confessione Fidei.

Quo fine & consilio hac Confessio primùm à Catholicis proposita, quid rectè, aut perperam à Protestantibus in illa acceptanda gestum sit, quid deinde faciendum.

PRæmonendus ante hanc Confessionem paucis lector videtur. Inter Catholicos illa à me primùm ex collectis collatisque in genuino sensu scripturæ verbis composita est, nec à paucis, qui illam expenderunt, probata. Visum mihi aliisque non conveniens illa medium fuit, quod adversarii primò animadverterent, quàm malè de nobis jactent, quod sine scriptura, in rebus de fide controversis, loquamur, verba humana pro divinis ignaro obtrudamus populo, superstitiosis tantùm atque ad lucrum compositis opinionibus vulgò illudamus.

Deinde ostendere placuit, si ex sola scriptura religionis controversiæ decidendæ sint, nos nihilo inferiores illis futuros, ideoque in justa professione veritatis consistere; neque stationem nostram, nisi temerè, deserendam, priusquam fortiori atque evidentiori scripturarum potentia ab illa dimoveamur. Cùm enim scripturæ S. ita in medio à Deo positæ sint, ut rectè sentiens obsequensque Ecclesiæ filius ab illis lucem habeat sufficientem veritatis, & præceps refractariusq; offendendi occasionem habere possit: quòd divinâ providentiâ permissæ in Ecclesia hæreses sint, ad probationem perfectionemque electorum; ideoque neque scripturæ S. neque SS. Patres tam ubiq; disertè clareque de rebus ad fidem necessariis sententiam enuntient, ut præsidens sibi arrogansque ingenium ex his illisque decerptas quasdam ad hæresim auspicandam, fovendamque, opiniones haurire non possit: satis nobis erit, si illi, quàm à majoribus accepimus fidei doctrinæ, non minus S. Scriptura faveat, quàm obstet. In hoc enim casu, illa nobis pars existimanda est potior, quam ab avis proavisque nostris, per manus tra-

traditam, habemus: cùm constet hâc solâ traditione, circa omnem scripturam; ut ante, & post diluvium diu factum, & nunc fidem huc usque propagari potuisse, & præferenda in omni jure pars sit, quæ in sibi relicta a Majoribus possessione consistit, etiamsi in illius probatione deficiat.

Denique non solum hâc confessione existimavimus probari, nos nihilò aliis in S.Scripturæ testificatione inferiores fore: verùm multò etiam superiores. Cum nulla aliarum Confessionum, quantumvis omni Scripturarum præsidio munita, hoc facere comperta sit hactenus, in articulis nostræ doctrinæ oppositis, ut nil nisi S. Scripturæ verbis, sensuque illis, quibus depromitur locis, conformi & obvio loqueretur. Quod in hac Confessione, quantum existimo, præstitum est: cum ipso Protestantium, ut apparet, acceptantium suffragio.

Postremò non omisimus, quod aliis Confessionibus solennè est; præcipuas adversarum partium, quibus suam frustra dissensionem fovent, sententias. Quis enim ex S.Scriptura incorruptum vult sumere judicium; hic ad unam alteramque ejus sententiam affigendus non est; sed collatis omnibus de proposita quæstione loquentibus scripturis, ex præcipua illarum conspiratione veritatem hauriet, & si ex æquò etiam certent, à Majorum via non poterit deflectere; ne se illis temerè prudentiorem constituat. Quare rectè factum à Protestantibus, quod, quæ suæ existimarunt causæ patrocinari, hæc duxerint inserenda; in hoc solum culpandi, quod suis sæpe verbis; præter Scripturam, aliud locuti sint.

Nunc verò quid ego in hujus Confessionis iterata devulgatione, fecerim; quidque ab aliis, si manum admoveant, postulem; est observandam.

1. Ex vernacula lingua utramque Confessionem, tam Catholicorum, quàm Protestantium, eisdem, præterquam in paucis, conformem transtuli in linguam Romanam, ut & summo Ecclesiæ Capiti, & exteris simul posset nationibus communicari: tum verò præcipuis utriusque Religionis Universitatibus magis ad examen judiciumque formandum esset opportuna.

2. Utramque Confessionem inter se contulimus, & quibus in locis Protestantes dissentirent, per interpretationem à se adjectam, in suis, post singula capita, Observationibus designavimus: ita quidem, ut ex recepta utrimq; lege S. tantum scripturam admitteremus, rejectis verbis hominũ. Qua in re mirari nõ

satis

ſatis potui, Proteſtantium Confeſſionis auctores, quòd admiſſa conditione de ſola S. Scriptura adferenda, repentè ſui immemores, proprio ore loqui cœperint. Extorſerunt itaque ſubjectas obſervationes, quibus alioquin erat abſtinendum, ne à verbo Dei, ad verba hominum diſputationeſque intricatas rurſum devolvamur. Nolo igitur obſervationum in propoſita Confeſſione rationem ullam haberi. Solum illæ fuerunt appoſitæ, ut diſcrimen utriuſque Confeſſionis non ignoraretur. Conſtaret deinde, omnes propoſitas oppoſitæ Confeſſionis Scripturas nos attuliſſe: niſi fortè propter eandem ſignificationem otioſæ, in his articulis, compendio fidem tradentibus, viderentur. Quo nomine & paucas alias, ex prima Catholicorum Confeſſione, neglexîmus.

III. Eâdem ubique formâ cœpi concluſique articulos, quòd antè non ubique ſervatum, & claritatis in ſcriptura maximè eminentis cauſa factum eſt; neque culpam mutationis poteſt incurrere, cùm poſt vocem *Damnamus* nihil, præter illa quæ S. Scripturæ oppoſita ſunt, ſubjectum cupiam, paratus æquam in omnibus correctionem admittere, non verò tolerare corruptionem.

IV. Verſione latina antiquiſſima receptiſſimaque inter Catholicos uſus ſum, quod nihil illa probatius reperiri poſſe exiſtimem, æquumque ſit, ut Eccleſiæ, cui aliquam mihi ſcripturam tradenti credo, hanc potius, quàm illam credam etiam offerenti. Nihil tamen magnopere eſt, ſi huc tota difficultas recidat, cur non aliis etiam Bibliorum traditionibus poſſimus acquieſcere.

Ceterum, ſi quis Proteſtantium vel promovendæ pacis, vel intervertendæ (quod non exſpecto, niſi à perverſis) ſtudio, huic Confeſſioni calamum admoverit, hunc oro obteſtorque, ne ſuis verbis atque expoſitione, contra ſupra admiſſas utrimque leges pugnet; niſi manifeſtus prævaricator æquitatis, veritatiſque ſpretor haberi velit. Contendimus, utra partium magis claris explicatiſque illos, de quibus pro fide pugnamus, articulos propoſuerit. Qua in diſceptatione humanas voces pro divinis ſubſtituere, eſt ſuam deſerere cauſam, ſeque & victum, &, ſi reſiſtat, etiam contumacem fateri. Quocirca hæc quæ ex mente veteris Eccleſiæ hoc modo, ordine, ac veritate per ſcripturam propoſita

posita sunt, immota stare debent: nisi indubiis Scripturæ verbis, aut æternæ veritatis consequentia submoveantur. Denique petimus à Protestantibus universis, ut huic proposito ad felicem exitum promovendo, ac tam compertæ veritati subscribendo animum calamumque admoveant. Idque in re tanta, quæ præsentis æternæque felicitatis momenta complectitur, pro caussæ magnitudine, seriò constanterque agere, ne graventur.

CONCILIATIO

CATHOLICORUM SIMUL ET PROTESTANTIUM PER CONFESSIONEM FIDEI PUBLICAM EX CLARO PUROQUE DEI VERBO, OMNIBUS ROMANI IMPERII SUBDITIS PROPOSITAM.

UNiversè profitemur, & credimus, quidquid per symboli Apostolici articulos duodecim, tum etiam verbum Dei, nobis de uno vero Deo, de sanctissima Trinitate, de cæli terræque creatione, de lapsu Adæ, de incarnatione, & redemptione Christi, de sanctificatione Spiritus S. de una Catholica, seu universali Christi Ecclesia, de remissione peccatorum, de Sacramentis Ecclesiæ, & altera post mortem vita proponitur.

Singulatim verò ex puro Dei Verbo profitemur.

CAPUT I. DE CHRISTO.

I. *Credimus*, quod Verbum caro factum sit *a* natum ex Maria Virgine, *b* quodque Christus in carne sit passus, *c* & Deus sanguine suo mundum redemerit *d* Ita ut sedu-

1. a *Verbum caro factum est & habitavit in nobis Ioh. 1. v. 14*
b Symb. Apost. & Lucas *peperit filium suum primogenitum c. 2. v. 6.*
c *Christo igitur in carne passo* cto-

ctores sint, qui non confitentur Jesum Christum in nostra carne venisse *e Damnamus ergò quotquot Dei filium in nostra carne venisse, & sanguinem fudisse negant.*

II. *Credimus* Christum ita pro multis effudisse sanguinem, *a* ut simul se, tanquam verus mediator Dei & hominum, dederit redemptionem pro omnibus: *b* nec pro nostris tantùm peccatis; sed totius mundi: *c* ut qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *d His igitur contraria*, ut quod, *pro omnibus passus non sit, nec omnes salvos voluerit, damnamus.*

III. *Credimus* descendisse Christum ad inferos, *a* ita quidem, ut descenderit primùm in inferiores partes terræ, *b* vi sanguinis & redemptionis suæ emiserit vinctos, captisq; spiritibus, secundum animam descendens prædicaverit salutem, secumque illos confidenter traduxerit, exspolians inferni principatus & potestates, *d Omnia verò, quæ his adversantur, damnamus.*

IV. *Credimus* Christum ascendisse ad cœlos, *a* nec apud nos semper remansisse. Secun-

& *vos eadem cogitatione armamini* 1. *Pet.* 4. *v.* 1.

d *Posuit vos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Act.* 20. *v.* 28.

e *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem.* 2. *Ioh.* 7.

II. a *Hic est sanguis N. T. qui pro multis effundetur. Matt.* 26. *v.* 28.

b *Vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus* 1. *Tim.* 2. *v.* 5.

c *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. *Ioh* 2. *v.* 2.

d *Omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire* 1. *Tim.* 2. *v.* 4.

III. a Symb. Apost. b *Descendit primùm in inferiores partes terræ. Eph* 4. *v.* 9.

c *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his qui in carcere erat spiritibus veniens prædicavit* 1. *Pet.* 3. *v.* 19.

d *Delens quod adversus nos chirographum erat &c. affigens illud cruci, & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam illos, triumphans in semetipso. Col.* 2. *v.* 13.

IV. a Symb. Apost. & Paulus *Eph.* 4. *v.* 8. 9. & 10.

b *Pauperes semper habebitis vobis-*

Secundum corpus *b* assumptus est, *c* ac videntibus discipulis elevatus in cœlum, *d* ita ut ab illis recesserit, & translatus sit. *e* Idem tamen corpore suo in cœna præsens est, *f* ac deinde Paulo spectabilis apparuit, *g* & ubi duo vel tres ejus nomine congregantur, medius est: *h* unde se indies nobiscum usque ad consummationem seculi futurum dicit, *i* adestque suæ Ecclesiæ ut caput, ex quo totum corpus compaginatum est, *k* licet in cœlos ascenderit, ut impleret omnia, *l* quæ scripta sunt de illo, in lege Moysi, & Prophetis. *m*

Hæc universè credimus, & his contraria damnamus.

biscum: me autem non semper habetis. Marc.14.v.8.

c *Iesus autem postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum Marc.16.v.19.*

d *Videntibus illis elevatus, & nubes suscepit eum ab oculis eorum Act.1.v.9.*

e *Dum benediceret eis, recessit ab eis & ferebatur in cœlum Luc.24.v.51.*

f *Accepit Iesus panem & ait, hoc est corpus meum &c. Matt.26.*

g *Misit me Iesus qui apparuit tibi in via, quâ veniebas. Act.9. v.17.*

h *Vbi enim sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum Mat.18.v.20.*

i *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matt 28.v.20.*

k *Est caput Christus, ex quo totum corpus compaginatum. Eph. 4.v.15.*

l *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Eph.4. v.10.*

m *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege &c. Luc.4.v 44. Oportuit pati & ita intrare in gloriam. v.26.*

OBSERVATIO AD CAP. I.

De quibusdam extra vel præter S. Scripturam, Protestantium Confessioni insertis.

IN quinque hujus capitis articulis, Protestantium Confessio Catholicorum articulos retinuit; nisi quod in I. art, illi adjecerint; *personaliter* in carne passum esse Christum; quod

quod frustra factum, cum qui *de* Christo loquitur, patientis personam simul indicet. In II. III. art. conveniunt. Rejecerunt hîc tamen Protestantes locum Eccli. 24. v. 45. tanquam autoris minus probati; sed cum citra hunc satis firma stet sententia, necessarius ille nobis non est.

In art. IV. longius, quàm par erat, ad errorem Ubiquistarum deflexerunt. Verùm jure miramur errorem illum humanis tantùm verbis inseri, ut quod *visibiliter* recesserit, *invisibiliter* manserit: cùm ex solis scripturæ verbis hic agendum sit. Deinde illas pro se scripturas adducere, quæ dubii obscurique sensus sunt, vel certè etiam adversantur. Nam quomodo *impleverit* Christus Eph. 4. v. 10. *omnia*, an solâ gloriâ, aut gratiâ, an etiam præsentiâ? & si hac; an successivâ? quemadmodum Sol indies cœli circulũ: an simultanea? ut radii solares aërem, hoc ex illo loco indefinitum manet. Quare cum gratia & gloria illum implêsse, uti & successivâ præsentiâ certò constet, ac planissimus hic obviusque sit sensus, nulla consequentiæ vi (quæ certa sit) ad simultaneam hinc præsentiam argumentari licet. Si tamen ex scripturæ locis aliis definitùm sensum lubet accipere, hic ex Luca c. 24. v. 26. & 44. promptus est, ac certum; Christum ascendendo in cœlum *implevisse omnia, quæ de ipso scripta erant*. Juvatque ad hanc sententiam idem verbum πληρόω in Græco, uti & *impleo* in Latino, utrimque observatum. Cetera loca nostræ doctrinæ etiam patrocinantur: nam in S. Eucharistia *semper habebimus Christum*, in Ecclesia, Catholica, *præsentem* Matth. 26. & 28. Estque etiam in universali, hoc est, tam triumphante, quàm militante Ecclesia, ut caput, quod utique supremum, tantùm locum in corpore occupat, non ubique est, in ventre, pedibus &c (quale enim hoc monstrum?) Denique ex Matth 18. magis etiam nostra veritas firmatur: nam si *ibi* est, *ubi* duo vel tres in nomine ipsius congregantur; ubi alterius congregantur nomine, ibi non erit: alias nihil illis gratiæ singularis, ob promissam præsentiam, deferret. Quocirca S. Scripturas à Protestantibus insertas reliqui, quod veritati non possint officere; humanarum autem vocum commixtionem sustuli, ut Dei tantùm voces syncerè audirentur. Quod si æqui, veritatisque amantes sunt, ultrò amplectentur. Porrò articulus unus omissus hic est, quòd infra recurrat,

CAPUT

CAPUT II.

De Ecclesia, illius Præpositis, Doctoribus & Pastoribus.

I. *Credimus* in unam, Sanctam, Catholicam, seu universalem Christi Ecclesiam, *a* quæ, ut civitas suprà montem sita, & tanquam lucerna supra candelabrum posita, abscondi non potest, *b* videbitur, agnoscetur semen esse, cui benedixit Dominus. *c* Neque derelicta, aut desolata amplius erit; sed custodes propalam habitura est, qui die ac nocte perpetuùm audiantur. *d* Quibus Christus spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, à patre impetravit, ut æternùm cum illis permaneat *e* *Hæc credimus, & contraria, (quod Ecclesia aliquando abscondita, seu non visa fuerit, erraverit que,) damnamus.*

II. *Credimus* Christum Ecclesiæ in cœlis terrisque, tanquā corporis totius, caput esse: *a* sicut vir est caput mulieris. *b* Qui in Petro fundavit Ecclesiam in terris, dicens, tu es Petrus & supra hanc petram fundabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum &c. *c* Et postea ex sua Ecclesia constituit Principes super omnem ter-

I. a Symb. Apost. & Nicen.

b *Non potest civitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam, & ponunt sub modio &c. Matt. 5. v. 15.*

c *Fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorū; omnes qui viderint, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus Isa. 61. v. 9.*

d *Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata &c. Super muros tuos Ierusalē constitui custodes, tota die ac nocte in perpetuū non tacebunt. Isa. 62. v. 4. & 6.*

e *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Ioh. 14. v 17.*

II. a *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Eph 1. v. 22. & c. 4. v. 15. Col. 1. v. 18.*

b *Vir caput est mulieris, sicut Christus est Ecclesia, ipse salvator corporis ejus &c. Eph. 5. v. 23*

c *Matt. 16. v. 18.*

d *Nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione, Psal. 44. v. 17.*

terram, qui nominis ipsius gloriam, & memoriam per omnes nationes propagarent. *d* Denique posuit Episcopos per Spiritum S. regere Ecclesiam Dei. *e* Qui omnes in una Ecclesia sunt, velut ovili uno, *f* Quibus etiam à S. Petro dictum: Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè, secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. g *Hæc profitemur, & damnamus quotquot D. Petrum ejusque successores in sede Apostolica negant fuisse ac esse capita, & Principes Ecclesiæ Christi, super omnem terram, ejusque ovilis unum esse in terris Pastorem.*

e *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Actor.* 20. *v.* 28.

f *Fiet unum ovile & unus pastor. Ioh* 10. *v.* 16.

f *Dicit Simoni Petro Iesus. Simon Iohannis, diligis me plus his? Pasce agnos, & oves meas. Ioh.* 21. *v.* 15.

g 1. *Petri* 5. *v.* 2.

III. *Credimus* in loco quidem uno Ecclesiæ, ut, disperso olim Israële in Jerusalem factum, Pastores cæcos ignorantesque, ac velut canes mutos reperiri posse; *a* sed in universa Christi Ecclesia erunt usque ad consummationem Sanctorum, Doctores & Pastores in opus ministerii, & ædificationem corporis Christi; ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ & erroris

a *Ait Dominus, qui congregat dispersos Israël. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare. Pastores ignoraverunt intelligentiam &c. Isa.* 56. *v.* 8.

b *Ipse dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, ut jam non simus parvuli fluctuantes, &*

b Quia fides ex auditu est, quæ sine veritatis prædicatibus nequit propagari. *d* ui nunquam à Christi Salvatoris adventu defuerunt, e im spiritus & verba Dei posita fuerint in ore eorum, & onentur in ore Christiani seminis usque in sempiternum. e **Hæc** *facta, & futura, in nova lege credimus, & damnamus quotquot contra asserunt, unquam manifestos, & orthodoxos in Ecclesia Prædicatores defuisse.*

& circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris Eph. 4. v. 11.

c *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Christi Rom. 10. v. 17.*

d *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient, sine prædicante? Ibid. v. 14.*

e *Cùm venerit Sion redemptor, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui in sempiternum. Isa. 59. v. 20.*

IV. *Credimus in dubiis fidei* audiendos esse seniores & Patres nostros: quòd ab illis intellectus verus habeatur: *a* non ex judicio privato propriæ sapientiæ, & discretioni innixo. *b* Qui viam antiquorum Patrum bonam scrutatur, & ambulat, c & si ignoret, ex ore sacerdotis scientiam & legem salutis requirit, inveniet requiem animæ suæ. d *Damnamus itaque illos, qui suum sensum, Patrum & sacerdotum veterum, quos orthodoxos fuisse receptum est, interpretationi in S. litteris præferunt.*

IV. a *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. Deut. 32. v. 7.*

a *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim dedicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum Eccli. 8. v. 11.*

b *Ne innitaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud temetipsum. Prov. 3. v. 5.*

c *Videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris. 6. v. 16.*

d *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Matt. 2. v. 7.*

V. *Credimus* in Ecclesia Christi, tanquam in diversis membris unius corporis, varias operationes & dona esse; & alii quidem discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum dari: neque omnes interpretari scripturas posse. *a* In his verò quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem. *b* siquidem Prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit. *c* Pastores autem & Doctores dati sunt in opus ministerii, & ædificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes. *d* Unde D. Johannes, post completa Apostolorum aliorum scripta & vitam, adhuc se & alios Pastores Ecclesiæ, loco Dei audiri vult, atque ex hoc spiritum erroris & veritatis ait dignoscendum, *e* *Damnat itaque Deus omnem propriam scripturæ interpretationem, & ad Doctores, & Pastores ablegat, ut sine errore, decenter & ordine, omnia fiant.*

V. a *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ alii discretio spirituum, alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? &c.* 1. *Cor.* 12. *v.* 7. & 28.

b 2. *Pet.* 2. *v.* 16 (c) 2 *Pet.* 1. *v.* 20. d *Eph.* 4. *v.* 12. & 14.

e *Charissimi nolite omni Spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Nos ex Deo sumus, qui novit Deum, audit nos. qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* 1. *Ioh.* 4. *v.* 1. & 6.

VI. *Credimus* quod is, qui Ecclesiam in rebus controversiis non audierit, sit sicut Ethnicus & Publicanus. *a* Quodque teneantur omnes ad

VI. a *Matt.* 18. *v.* 17.

b *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi, quodcunque vobis dixerint servate & facite, secundùm opera verò*

ad audiendum illos, faciendumque quæ dixerint, quotquot in Ecclesia Dei nobis præsident, quanquam prava quorundam exempla sequenda non sint. *b Damnamus itaque quotquot Ecclesiæ ejusq; Prælatorum judicio & imperio obstrepunt.*

VII. *Credimus* Episcopis, quales erant Timotheus & Titus, ordinationem presbyterorum per manus impositionem commissam esse, *a* & hos illorum judicio ac pœnis fuisse subjectos. *b* Et quamvis populo aliquando electio & propositio Diaconorum, ante conspectum Præsulum Ecclesiæ, permissa sit; nemo tamen illa potestate, nisi per ordinantes Præsules, donatus est: *c* neque ad prædicationem quisquam habitus idoneus, nisi ab his Dei nomine missus. *d* Et, in reliquis Sacerdotum officiis, nemo sibi sumit honorem, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron. *e Rejicimus itaque quotquot à veris orthodoxisque Episcopis, ordinati ac missi non sunt, ut Sacramenta impertiantur, & Evangelium prædicent.*

VIII. *Credimus* ex Paulo, traditiones in Ecclesia esse, quales ipse suis fidelibus, sive essent scripto, sive per sermonem traditæ, observandas dixit. *a* quasque ex se audi-

Moyſis ... arisæi ... nt ser- ... opera ... verò

verò eorum nolite facere. Matt. 23. v. 2.

VII. a *Manus citò nemini imposueris* 1. *Tim.* 5. *v.* 22.

a *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Tit.* 1. *v.* 5

b *Adversus Presbyterum accusationem noli suscipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue* 1. *Tim.* 5. *v.* 19.

c *Convocantes duodecim multitudinem, dixerunt: considerate viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto, quos constituamus. Et elegerunt Stephanum & Philippum &c. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt (Apostoli) eis manus. Act.* 6. *v.* 3. *&c.*

d *Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Rom.* 16. *v.* 15.

e *Hebr* 5. *v.* 4.

VIII. a *State & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* 2. *Thessal.* 2. *v.* 14.

b *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui*

 idonei

auditas Timotheum Episcopum docere alios fideles jussit, qui posteris easdem docendo traderent. *b* Ipse Joannes (Apostolorum scribentium ultimus) Gajo multa veritatis testimonia, coram sermone, tradidit, scriptis Apostolicis non exposita. *d* Præter quæ siquis evangelizaverit, anathema sit. *Damnamus itaque, qui doctrinam & traditiones Apostolicas S. Scripturæ non contrarias, solo sermone relictas in Ecclesia Dei negant.*

IX. *Credimus* Christum & Apostolos miranda supra naturam opera ad prædicandum infidelibus Evangelium duxisse necessaria. *a* Licet sint, qui in nomine diaboli hæc fieri calumnientur. *b* Sunt autem illa signa veram fidem testantia; ejicere de corporibus obsessis dæmones, morbis prostratos sanare, novis loqui linguis, serpentes tollere, mortifera, sine noxa, bibere. *c* Quæ ad finem mundi, dum Evangelium prædicabitur, inter gentes, fient. *d* *Damnamus itaque Ecclesiam, quæ his fidei externis signis nullibi illustratur.*

idonei erunt & alios docere. 2. Tim. 2. v. 2.

c *Nos testimonium perhibemus, & nôsti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere; sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi. Spero autem protinùs te videre, & os ad os loquemur 3. Ioh. 12.*

d *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit. Gal. 1. v. 9.*

IX a *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ioh. 15. v. 24.*

b *Quidam autem ex eis dixerunt; in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia Luc. 11. v. 15.*

c *Signa autem eos, qui crediderunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c. Super agros manus imponent, & benè habebunt. Marc. 16. v. 17.*

d *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Matt. 24. v. 14.*

OBSERVATIO IN CAPUT II.

De quibusdam, extra vel præter S. Scripturam, Confessioni Protestantium insertis.

IN nonnullis hujus capitis art. sua malè verba extra scripturam rursus admiscent.

In I art. convenimus. In II. addunt: *unicum* summum Ecclesiæ caput est. Quæ vox in cit. S. Scriptura non habetur. Nostræ tamen sententiæ nihil obstat, quia & illud Pauli 1. Corinth. 3. 11. admittimus, quod Christus *fundamentum* sit, *præter quod aliud statui non potest*, nam Christus, ut rectè August. in psal. 86. *est fundamentum primum & maximum, quo ulterius nihil*. Et nos *ædificati sumus super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Eph. 2. v. 20. ubi, Paulus seipsum, cum distinctione, explicat. Quare τὸ *unicum* adversariis nihil insertum proderit, & Petrus rectè fundamentum alterum, seu petra dicetur. Nam & græcè Πέτρος, & Syriacè Cephas, tam rupem, quàm Petrum significat; ita ut rupis illum nomine Christus, ad fundamenti solidi expressionem appellaverit. Quod ad locum D. Petri ex Eph. 1. c. 5. adjectum attinet, ille ad instructionem Præsulum sacrorum utilis est: ne potestate suâ superbè abutantur, sed exemplo Christi præsint.

In articulo III. Sententia ex Isaiæ cap. 56. vers. 9. adjecta, Jerosolomitas solum Prædicatores defecisse probat; non omnes omni in loco, ad quem sparsi Israëlitæ se receperant. Deinde senserit de Israëlitis, nihil tamen de Judaica Ecclesia dicitur. Ut vanum sit, hinc defectionem universalem Pastorum arguere. Denique defecerint illi, quid nobis cum Judæorum Synagoga paritatis est, quæ non habuit illam perpetuitatis, in Doctoribus & Pastoribus orthodoxis, promissionem, quam habet Ecclesia Christi? Postremò frustra allegorica hæc veteris Testamenti verba ad claram & explicatam Apostolorum sententiam exponendam, contra legem interpretationis adhibentur. Admittemus tamen, suo in sensu, pacis causâ, quia ita Protestantibus visum est.

In articulo IV. quod adjecerint, Patres veteres audiendos;

qui non contradicunt Scripturæ: libenter admittimus: ita enim expositiones ceteras Patrum, in veneratione debita habebunt, & suæ ac Lutheri, præferent, ubi de sensu S. Scripturæ lis est.

In articulo V. cùm ponunt audiendos Doctores, ut omnia *ordine ac decenter* fiant, & nobis placet. Quanquam sola hæc, illos audiendi, causa esse non possit. In articul. VI. rectè in verbis convenimus.

In articulo VII. Si velint in *pietate similes Episcopos Timotheo, & Tito,* qui ordinare ac mittere tantùm possint, fortè nullum è sua Ecclesia talem producent. Quare illorum etiam commodo hæc verba extra S. Scripturam adjecta omisi, ne nobis difficultatem, sibi ἀδύνατον impônere videantur.

In artic. VIII. etiam placet, quod traditiones Majorum, cum hoc addito, *modò S. Scripturæ contrariæ non sint*, admittant, tales enim hactenùs Ecclesia Catholica solum admisit. Et si dubium esset, ad Patres, juxta art. IV. recurrendum erit.

In IX. art. malè adjiciunt miraculorum signa, *vel corporalia, vel spiritualia* requiri: cùm ridicula hæc prorsus, extra S. Scripturam distinctio sit. Ubi enim spiritualia miracula pro signo veræ fidei ad Gentium conversionem promittuntur? Hæc verba itaque, bonâ illorum veniâ, eliminabimus.

CAPUT III.

De fide & operibus.

I. *Credimus* fidem Christianam esse fundamentum rerum sperandarum, quâ ducimur, in cognitionē illorum, quæ nobis non apparent. *a* Qualemcunq; tamen de Christo ad salutem non sufficere, quòd & Dæmones credant, *b* ac confiteantur Christum esse filium Dei, *c* & Paulus omnem etiam fidem sine charitate nihil dicat prodesse: *d* Jacobus Apostolus mortuam esse asserat. *e* *Damnamus igitur, qui sola hac*

a *Fides es sperandarum substantia* (ὑπόστασις) *rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. v. 1.

b *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Iac. 2. v. 19.

c *Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei. Sciebant ipsum esse Christum.* Luc. 4. v. 41.

d *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum & nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. v. 2.

e Fi-

hac divina fide ab Apostolis descripta, hominem salvari posse tradunt.

2 *a Credimus* adeò firmum debere esse credentis in fide animum, ut nulla hæsitet diffidentia: timorem tamen, ne quis deficiens à fide in qua stat, labatur, & propter incredulitatem pereat, non excludi. *b* Nam si avertit se justus à sua justitià, & iniquitatem fecerit, justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *c* Ideoque in timore Domino serviendum est, ne aliquando pereamus de via justa. *d* Utì Alexandro & Hymenæo factum est, qui habentes fidem, & bonam conscientiam, defecerunt, & satanæ traditi sunt. *e* Difficile enim est illos, qui semel sunt illuminati, & participes facti Spiritus S. prolapsique sunt, rursus ad pœnitentiam renovari! *f* Quare D. Paulus sibi metuens, ne reprobus efficeretur, castigatum corpus in servitutem redigebat, *g* donec divinitùs certior factus est, nulla fere à charitate Christi separari posse. *h* *Damnamus itaque illos, qui extra revelationem, fideles ita de sua fide justitiáque obtenta certos faciunt, ut amitti posse, negent.*

c *Fides sine operibus mortua est. Iac.2 v.14.*

2. a *Abraham in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus in fide est. Rom.* 4 *v.* 20.

b *Rami propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Rom.*11.*v.*20.

c *Ezech.*18. *v.*24.

d *Servite Domino in timore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Psal.* 2. *v.*11.

e *O fili Timothee, milites bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ.* 1.*Tim.*1 *v.*18.

f *Impossibile enim est eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S. rursus renovari ad pœnitentiam. Heb.*6. *v.* 4.

g *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè dum aliis prædicavero, reprobus efficiar.* 1 *Cor.*9. *v.* 27.

h *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Rom.* 8. *v.* 38.

III. Credimus Judæum, & infidelem quemvis justificari gratis ex gratia & redemptione Jesu Christi, per fidem, sine operibus legis, *a* cùm Dei donum sit, non ex nobis, aut operibus nostris, ne gloriemur, *b* imò, nec peccatorem quemvis, nisi gratia per fidem & sanguinem Jesu Christi remissionem peccatorum consequi: *c* tum quia hęc salutis nostræ fundamentum est: *d* tum quia opera justificationē peccatoris non merentur: nam si est gratia, jam non ex operibus. *e*

Credimus tamen simul justum hominem non ex fide tantùm, sed operibus quoque justificari, *f* eò quòd factores legis apud Deum justificentur, *g* & qui justus est, justificari ampliùs jubeatur, *h* ut Abraham accidit, qui justificatus est ex operibus, filium Isaac offerens. *i* Ita enim Deus auget incrementa frugum justitiæ nostræ, ut magis locupletati abundemus in virtute. *k Damnamus itaque tam illos, qui justificationem peccatoris per operum merita fieri asserunt; quàm qui justos magis justificari per hæc coram Deo negant.*

III. a *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, per fidem in sanguine ipsius. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis. Rom. 3. v. 23. & Rom. 4. v. 2. &c.*

b *Cùm essetis mortui delictis, gratia ejus salvati estis per fidē, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Eph. 2. v. 1. & 6.*

c *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Eph. 1. v. 7. Coloss. 1. v. 14.*

d *Hebr. 11. v. 1.*

e *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia. Rom. 11. v. 5.*

f *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Iac. 2. v. 24.*

g *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Rō. 2. v. 13.*

h *Qui justus est, justificetur adhuc. Apoc. 22. v. 11.*

i *Abraham nónne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium? Iac. 2. v. 21.*

k *Deus augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem. 2. Cor. 9. v. 10.*

IV. Credimus nos justificari ex fide in Christo Jesu, quæ per

IV. a *Nos ex fide spem justitiæ exspectamus; nam in Christo Iesu neque*

per charitatem operatur; *a* ita ut sine charitate omnis & sola fides nihil prosit. *b* Scimus enim, quòd translati simus de morte ad vitam, quoniam diligimus. *c* Uti Magdalenæ remissa sunt peccata multa, quia multum dilexit. *d* In justo enim homine tria præcipua sunt, fides, spes, & charitas, sed major horum est charitas. *e* Nam & spe salvi reddimur, *f* quæ tunc non confundit, quando charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, g & habemus fiduciam accessumque ad Deum in confidentia per fidem, si tamen in charitate radicati & fundati simus: quia charitas est, quæ operit multitudinem peccatorum. *Damnamus itaque illos, qui fidem aut fiduciam in Deum, se sola, non per charitatem justificare asserunt.*

V. Credimus Deum delere peccata nostra, ut nubes à puro auferrur aëre, *a* Christúmque illa, per sanctificationem, suæ passionis meritis, ita tollere, ut sublatâ peccatorum maculâ, sancta & immaculata anima appareat, *b* & translati à luce ad tenebras in omni bonitate, justitia, & veritate ambulemus. *c* Un-

neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Galat. 5 *v.*6.

b *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1 *Cor.*13.*v.*2.

c *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* 1 *Ioh.*3. *v.* 14.

d *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm Luc.* 7.

e *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas* 1 *Cor.* 13.*v.*13. (8. *v.*14.

f *Spe salvi facti sumus. Rom.*

g *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus. Rom.* 5. *v.* 5.

h *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus in charitate radicati & fundati. Eph.*3.*v.*12. *&* 17.

i *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1 *Pet.*4.*v.*8.

V. a *Delevit, ut nubes iniquitates nostras. Isa.*44. *v.*22.

*Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioh.*1.*v.*19.

b *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta & imma-*

c Unde licèt concupiscentia quæ parere peccatum possit, in nobis habitet; *d* verè tamen peccata non teguntur tantùm meritis Christi, sed & remittuntur, *e* quòd lux cum tenebris, justitia cum iniquitate, Christus & Belial simul nequeant consistere. *f Damnamus itaque omnes, quotquot peccata in sanctificatione quoad maculam in anima manere, & tegi solùm, non remitti, credunt.*

maculata. Ephes. 5 v. 25.

c *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est, in omni bonitate, & justitia, & veritate. Eph. 5. v. 8.*

d *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. Iac. 1. v. 15 & Rom. 7. v. 20.*

e *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Psal. 31. v. 1.*

f *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? 2 Cor. 6. v. 14.*

6. *Credimus*, quòd sicut unius delicto, in anima, per peccatum, mortui sumus; ita gratia unius Jesu Christi in nos multò magis abundet, per justitię amissę restitutionem: nam utì peccatum regnavit ad animæ mortem; ita in eadem regnat gratia per justitiam, ad vitam æternam. *a* Quia renovamur in illa per infusionem Spiritus S, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus vitæ æternæ. *b Damnamus ergo illos, qui originale delictum, quoad mortem animæ omninò tolli per justitiam, & gratiam Spiritus S. in nos infusam, negant.*

6. a *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit, qui abundantiam gratiæ, & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Vt sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam &c. Rom. 5. v. 15. &c.*

b *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem N. ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Tit. 3. v. 6. &c.*

VII. *VII.*

VII. Credimus, quòd, licèt in multis offendamus omnes, *a* & concupiscentiam secuti peccemus: *c* tamen posse nos spiritu ambulare, ac desideria carnis non perficere, *c* & non peccare, cùm vocationem nostram sequimur, *d* ita Job nil peccavit in verbis, *e* Josias, & David tota anima & viribus, juxta legẽ Moysis, se ad Deum convertit. *f* Zacharias & Elizabeth justi erant, & in omnibus præceptis Dei ambulârunt, *g* & omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, *h* quamdiu Deum, & proximum diligit; quia in hoc uno omnis lex impletur.

i Damnamus ergò omnes, quotquot negant ullum opus bonum, sine omni inquinamento dari in nobis posse; aut præcepta Dei in hac vita impleri.

VII. a *In multis offendimus omnes. Iac.5. v.2.*

b *Iac.1.v.15.*

c *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Gal. 5. v.16.*

d *Satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis. 2. Pet. 1. v.10.*

e *Iob.1.v.22.*

f 4 *Reg.23.v.25. & 3 Reg. 14. v.8.*

g *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela. Luc.1. v.6.*

h *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet. 1 Ioh. 3. v. 9.*

i *Per charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges &c. Gal.5. v.14.*

VIII. Credimus Deum liberè eligendi potestatem nobis tribuisse vitæ & mortis, benedictionis & maledictionis, ut possimus eum diligere, vel odisse; illi obedire, vel resistere. *a* Quia non habemus ad hoc illudve necessitatem; sed potestatem voluntatis nostræ, ut e. g. vel Deo virginitatem nostram servemus: vel in matrimonio eandem deponamus. *b* Cavendum verò,

VIII. a *Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus. Deut. 30. v.19.*

b *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judi-*

verò, ne Spiritui S. per suam nos gratiam vocanti resistamus, ut duri cordis homines, quod facere nos posse, gratiâ Dei rejectâ, Judæi refractarii probarunt. *c* *Damnamus igitur, quotquot potestatem eligendi inter bonum & malum: tum resistendi gratiæ Spiritus S. vocantis, nobis adimunt: necessitatem verò quamcunque ad bonum vel malum imponunt.*

IX. *Credimus*, quòd, licèt inutiles servi simus, qui quæ debuimus facere, fecimus, *a* nec quicquam habeamus, nisi quod accepimus: ita ut gratia Dei sit vita æterna: *b* tamen propter fidelitatem Domino per ipsius gratiam præstitam à nobis, & factam ab ipso remunerationis promissionem, *c* unusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem: *d* ambulabunt enim Sancti cum ipso in gloria, quia digni sunt, *e* & momentaneum tribulationis hujus vitæ æternum gloriæ pondus operabitur. *f* Unde non minus, in extremo judicii die, propter bona misericordiæ opera vitam æternam; quàm propter mala immisericordium ignem tribuet æternum. *g* *Damnamus igitur, quotquot negant, opera bona fidelium Christi servorum digna esse vita æterna, aut mercedē habitura, quæ propter*

judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit, &c. 1 *Cor.* 7. *v.* 37.

c *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri. Act.* 7. *v.* 51.

IX. a *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc.* 17. *v.* 10.

b *Quid enim habes, quod non accepisti?* 1 *Cor.* 1. *v.* 31. *Rom.* 6. *v.* 23.

c *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam &c. Matth.* 25. *v.* 22.

d *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1 *Cor.* 3. *v.* 8. *& v.* 13. *Et ps.* 17. *v.* 21. *ps.* 18. *v* 12.

e *Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. Apoc.* 3. *v.* 4.

f *Momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2 *Cor.* 4. *v.* 17.

g *Venite benedicti Patris mei, possidete regnū; esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. Ite male-*

ter illa conferatur, & cùm gratia nobis facta consistat.

maledicti in ignem æternum, esurivi enim, & non dedistis &c. Matth. 25. v. 35. &c.

OBSERVATIO AD CAP. III.

De adjectis præter, vel contra Scripturam S. Confessioni Protestantium.

IN art. I. duobus locis adjecit, fidem *historicam* non salvare, quæ vox cùm extra Scripturam assumatur, jure illam abesse patimur; sed fidem Christi divinam à Paulo descriptam intelligimus. Quæ verò & in hoc art. & seq. ex S. Scriptura adjiciuntur, nihil obstant, sed confirmant propositum. Quanquam in utraque Confessione, ubi eadem per diversas Scripturas firmabantur, brevitatis causa quasdam omiserim. Porrò oppositas Scripturæ sententias, quas damnamus, paulò discretiùs, ad mentem primæ Confessionis censui exponendas.

In art. II. igitur consentit utraque Confessio, nisi quòd Protestantes Pauli locum ad Rom. 8. vers. 38. inserant de charitate Christi, à qua se negat, vel in vita, vel in morte separandum. Sed hoc utrisque explicandum est: ut vel solius propositi dicamus fuisse; vel singularis gratiæ, hoc tempore Paulo divinitùs per revelationem communicatæ. Utrum libet, eligant.

In art. III. addit, *unicè ac solùm* per merita Christi nos justificari, quæ verba in S. Litteris minimè reperta, ideoque nec inserenda erant: ne cooperatio justi hominis in justificationis incremento excludatur. Clausula subjecta; quòd bona opera ex fide debeant fluere, otiosa est, quia nemo hanc veritatem negat.

Par ratio est de clausula art. IV. Ceterùm istic, quæ de charitate controversa sunt, aliquantò disertiùs à me ex S. Litteris proponuntur.

In art. V. dissentiunt Protestantes, sed rursum per sua, non Scripturæ verba, dum subjiciunt: *Non manere* in nobis peccata, *quoad reatum pœna*, sed in Christum portantem iniquitates nostras, transferri. Quoad maculam igitur, hoc est, quoad naturam, manere volunt in homine. Quod Scri-

pturæ

pturæ prorsus adversatur. Quando enim emundari dicimur, peccati utique macula, non pœna, intelligitur. Quando Christus tollere dicitur peccata mundi, de ipsa peccati substantia sermo est: aut alium sensum his locis requiri per necessariam consequentiam evincant. Quòd Paulus Rom. 7. v. 20. peccatum *in se habitare*, dicat, causam peccati concupiscentiam significare, & ex loco cit. & ex Jacobi 1. v. 15. satis est manifestum. Quam unam propositionem Pauli, quæ sensus ambigui est, decem aliis, quæ definitum sensum adferunt, cedere, eorumque sententiæ acquiescere necesse est.

Pari ratione hallucinantur sequenti art. VI. quando dicunt, peccatum originale non manere, *quoad damnationem & plenum dominium*. Ex qua enim Scriptura has distinctiones disertè promunt? Nolumus hîc quicquam extra Scripturam audire.

In art. VII. quædam inferunt præter Scripturam, quæ cùm sanum nullum sensum, etiam in doctrina Protestantium, faciant, à me prætermittuntur, dum sententiam explicatius promant.

In ceteris quoque art. VIII. & IX. pauca quæ adjiciunt verba, nihil officiunt. Nos tamen paulò disertiùs per Scripturas S. mentem explicamus. Verùm ita omnes hosce articulos proponimus, ut libenter profiteamur, opera bona renatorum nihil, nisi in virtute meritorum Christi, neque ex se, seorsim ab illis, quicquam posse. Quisque nostrûm fatetur: *Palmes non potest fructum ferre, nisi manserit in vite.* Joh. 15. v. 4. ideoque majorem tribuimus vim Christi meritis, quàm adversarii, qui illa tanquam sterile semen, quod sine fructu bonorum sit operum, in nos transfundunt, atque illud Isaiæ c. 64. v. 6. populi sui peccata accusantis, omnibus, etiam piè viventibus, applicant: *Peccavimus: & facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ &c.* Verùm an talia etiam Romanorum fuêre opera, de quibus Paulus: *Damnavit (Dei filius) peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum?* Rom. 8. v. 9. Apage tam perversâ Scripturarum interpretatione, quæ omnibus desperationem boni operis meritò injiciat. *Omnia possumus in eo, qui nos confortat.* Phil. 4. v. 13. Non tangam hîc illam meritorum CHRISTI, per adversarios enervationem: quando negant,

hæc tantùm posse, ut peccata in nobis prorsus aboleant. Sed tantùm, ut pallient, applicari.

CAPUT IV.

De Consiliis.

I. *Credimus* prohibere nuptias, quas Deus in paradiso instituit, doctrinam esse erroneam. *a* Unde qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit; sed qui non jungit, meliùs facit. *b* Et quamvis vidua, cùm vir in Domino obdormierit, benè nubat, beatior tamen erit, si sic permanserit. *c* Ut ipse Paulus, qui quidem ait: Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, *d* sed tamen hortatur; volo omnes esse sicut meipsum. Dico enim non nuptis & viduis bonum est, si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si se non continent, nubant: meliùs est enim tales nubere, quàm uri. *e Damnamus itaque omnes, qui vel nuptias damnant à Deo institutas: vel melius facere negant; qui virginitatem, aut castitatem, extra matrimonium, etiam stimulo carnis vexati, tuentur; modò se contineant.*

I. *Discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* 1.*Tim.* 4. *v.* 1.

a *Non est bonum hominem esse solum, faciamus adjutorium simile illi. Gen.* 2. *v.* 18.

b 1 *Cor.* 7. *v.* 38.

c *Ib. v.*40. *Beatior erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium, puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam.*

d *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ; qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. *Cor.* 12. *v.* 7.

e 1 *Cor.* 7. *v.* 8.

II. *Credimus* multos rectè Salvatorem & Dominum suum per votorum devotionem

II. a *Mittet eis Salvatorem & propugnatorē, qui liberet eos, & colent eū in hostiis, & in muneri-*

nem, & exsolutionem colere. *a* Qui Eunuchorum instar sunt nuptiarum incapaces, cùm seipsos castraverint propter regnum cælorum. Quod pauci capiunt: nisi qui cum Apostolis relinquunt omnia; etiam uxores. *b* Quales & Presbyteros ac Episcopos, si unius uxoris viri fuerint, deserto toro, ut sanctè & continenter exemplo Timothei & Titi vivant, esse oportet. Nam qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. *d* Cavendum verò inprimis, ne in disciplina Christi luxuriâ dissoluti aliqui, primam fidem Christo datam, cum sua damnatione, irritam faciant. *e* D*amnamus itaque negantes votis castitatis perpetuæ rectè Deum coli; aut non oportere Clericos esse ab uxoribus continentes: vel fidem hac in re Christo datam posse irritari.*

neribus, & vota vovebunt Domino, & solvent. Isa.19.v.21.

b *Dicunt ei discipuli: si ita est hominis causa cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit eis, non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt, propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat &c. Matth.19.v.10 & 27. &c.*

c *Oportet Episcopum sine crimine esse, sobrium, justum, sanctum, continentem. Tit.1.v.7.*

Unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum &c. 1 Tim.3.v.2.

d *1 Cor.7.v.32.*

e *Adolescentiores viduas devita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1 Tim.5.v.11.*

III. *Credimus* Apostolos Christi consilio reliquisse omnia, domum, possessiones, parentes, uxores, consanguineos, & Christum secutos esse; *a* ideoque adolescentem qui mandata Dei custodierat,

III. a *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te &c.*

Et omnis, qui reliquerit domū vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen

tat, Christo ad perfectionem majorem relictis bonis omnibus invitanti malè non esse obsecutū; quia dives difficilè salutem assequitur. *b* Cùm etiam Christi consilia non sequentibus necessarium ad salutem sit, ut qui habent uxores, & possessiones, tanquam non habentes sint, eò quòd figura hujus mundi prætereat. *c* *Damnamus itaque negantes hæc Christi consilia ad faciliorem & majorem perfectionem in terris, atque in cælis gloriam promerendam, conducere.*

men meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matt. 19. v 27.

b *Omnia hæc (mandata Dei) custodivi à juventute mea. Quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, veni sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis &c. quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. Ibid. v. 20.*

c *Tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. 1 Cor. 7. v. 29.*

IV. *Credimus* bonum esse, semper orare & nunquam deficere, ut Ecclesia electorum facit, die ac nocte orationes instituens. *a* Utque in V. T. reperiebantur, qui die ac nocte Deo in templis servirent jejuniis, & obsecrationibus. *b* Deinde rectè mortificationem Jesu Christi in corpore circumferri, *c* castigando illud, & in servitutem ipsius cupiditates redigendo *d* *Damnamus itaque Ecclesiam illam, ut reproborum, in qua hujusmodi perpetuitas precum, & mortificatio in jejuniis, & castigatione corporis, non commendatur.*

IV. a *Oportet semper orare, & nunquam deficere &c. Nonne Deus faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die, ac nocte? Luc. 18. v. 1. & 7.*

b *Anna vidua usque ad annos octoginta quatuor; quæ non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die. Luc. 2. v. 37.*

c *Dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem IESV Christi in corpore nostro circumferentes &c. 2 Cor. 4. 10.*

d *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. 1 Cor. 9. 29.*

OBSERVATIO IN CAP. IV.

De Scripturis S. malè traductis.

IN I. art. glossas extra Scripturam suas Protestantes adjecerunt. Ita stimulum carnis *in stimulum Diaboli* vellent mutari: ne cogantur admittere, stimulum carnis Paulum, extra matrimonium, sensisse, & cum hoc coluisse castitatem. Mira res! An non existimant multa esse hominum millia, qui stimulos carnis sentiant, & tamen castè vivant? An ipsi Protestantes (illorum conscientiam interrogo) ante matrimonium, & in illo ipso, quando cum uxoribus non sunt, inter stimulos carnis nunquam casti? aut si aliquando sunt, cur id aliis Deo consecratis per ipsius gratiam semper negant possibile? Deinde si ipsi & in matrimonio aliquando labantur; quid mirum, si inter tot millia Monachorum ac Clericorum nonnulli offendant? quando etiam inter 12 Apostolos unus Judas fuit. An icircò matrimonii leges ex orbe tollendæ, aut mulieres universæ, quia sunt, qui illis abutuntur? Tam igitur frivola de *Monachorum lapsu* inserta quæstio debebat hoc loco præteriri. Quæ ex S. Litteris hîc & alibi inseruerunt, intacta relinquo.

In art. II. addunt Pauli verbis: continentem debere esse Episcopum *in & extra conjugium*. Sed quare *in* conjugio? (Augustini verbis vos alloquar contra Jovin. de bono conjug. c. 18.) Paulus *non dicit: Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat; sed qui unam* habuerit *uxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur; sed quasi adulter*. Paria habet Ambros. epist. 82. Et verò si in rigore de tempore præsenti hæc Pauli verba sumerentur: *Oportet esse Episcopum unius uxoris virum.* Episcopus nec fieri posset, nec manere, nisi haberet uxorem. Vident itaque Protestantes, se hæc etiam verba extra Scripturam inserere, ideoque Confessione hac fuisse eliminanda. Ita frustra & sine adversariorum commodo, sequens etiam sententia de viduis corrupta, per adjectionem, fuit, quod operæ pretium non est recolere.

In III. art. admitto, quàm apponunt Scripturam.

Articulus IV. utrimque admissus, paulò expressiùs è S. litteris à me proponitur.

CAPUT V.

De Sacramentis & Sacrificio.

I. ***Credimus*** etiam fidelium filios, cum David, in peccatis conceptos esse, *a* & omnes naturâ esse filios iræ; *b* ita, ut nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non possit intrare in regnum Dei. *c* Sanctificatione tamen quadam exteriore, per consortiũ bonorum parentum mundantur filii fideliũ, quam habet & mulier infidelis per virum fidelem: *d* neque talibus facta est promissio, nisi qui baptizantur, & benè vivunt, uti & reliqui à Deo vocati. *e* *Damnamus igitur omnes, quotquot filios fidelium, sine baptismo, Spiritus S. & regni cælorum participes faciunt.*

I. a *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Ps. 50. v. 7.*

b *Omnes enim naturâ filii iræ sumus. Eph. 2. v. 3.*

c *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei Ioh. 3. v. 5.*

d *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* 1 Cor. 7. v. 14.

e *Baptizetur unusquisq; vestrûm, & accipietis donũ Spiritus S. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque advocaverit Dominus. Act. 2. v. 38.*

II. *Credimus*, Apostolos orasse pro eis, qui baptizati erant, & imposuisse illis manus, ut acciperent Spiritum S. *c* Quem etiam confirmati, & uncti signatique in Christo, per hoc signum, in cordibus, velut pignus filiorum Dei, susceperunt. *d Damnamus verò hanc Confirmationem malè repudiantes.*

II. c *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spir. S. nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in D. N. Iesu; tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum S. &c. Act 8. v. 15.*

d *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2 Cor 1 v. 25.*

III. *Credimus* in Eucharistia quidem carnem Christi, sine spiritu vivificante, nihil prodesse, ut indignè illam sumentibus: *a* verè tamẽ hic esse corpus Christi, quod pro nobis

III. a *Litigabant Iudæi: quomodo potest hic carnẽ suam nobis dare ad manducandũ? Christus ait: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Ioh. 6.*

b *Accepto pane dedit eis, dicẽs:* Hoc

nostrorum effusum est. *b* Christo alibi testante, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; non in figura, sicut manducaverunt Patres nostri manna, & mortui sunt; nam qui manducat hunc panem vivum, qui de cælo descendit, vivet in æternum, est enim hic panis participatio corporis Domini. *d* Ita ut qui manducaverit ex hoc pane indignè, judicium sibi manducet, non dijudicans corpus Domini. *e* Secundùm quod nobiscum futurus est usque ad consummationem sæculi: *Damnamus igitur, quotquot hic vel verè corpus & sanguinem Christi præsens esse, ac ita sumi negant: vel alium in substantia panem, quàm vivum, hoc est, vivens Christi corpus agnoscunt.*

IV. Credimus illum, qui in cœna discipulis dixit: Bibite ex illo omnes) qui etiam biberunt ex illo omnes *a*) etiam dixisse; qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum. Si dignè manducet; nam quicunque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, *b* reus, inquam utriusq-

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hoc est poculum (vel calix) novum testamentum in sanguine meo, quod pro vobis fundetur, (vel funditur, aut effusum est, juxta Græca, τῦ τοτὸ ποτήριον ἐν τῷ αἵματί μȣ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.) Luc. 22. v. 19.

c *Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt, ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternũ, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Caro enim mea verè est cib⁹, & sanguis meus verè est potus. Ioh. 6. v. 49*

d *Panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? 1 Cor. 10. v. 16.*

e *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Cor 11. v. 29.*

IV. a *Accipiens calicem gratias egit & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Mat. 26. v. 17*

Dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Marc. 14. v. 23.

b 1 *Cor. 11. v. 27.*

c *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & evanuit. Luc. 24. v. 30.*

d *Ab-*

utriusque: quia utrobique totus. Unde & in Emaus solo pane accepto, benedicto, & dato, aperti sunt oculi discipulorum? Et Christiani in Jerusalem, horum exemplo, erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis. *d* Qui enim manducare nos jussit corpus, & facere hoc ad sui commemorationem: non jussit eandem facere commemorationem de calice, nisi quotiescunque biberemus. *e Damnamus illos igitur omnes, qui damnant sub una specie panis communicantes.*

V. Credimus Deum, post Salvatoris adventum, per conversas Gentes hostiis & muneribus colendum, *a* & omni loco, ab ortu ad occasum usque, sacrificandum illi & offerendam oblationem mundam, *b* uti Apostoli sacrificarunt Domino, in segregatione Pauli, & Barnabæ, *c* instituti à Christo: qui in cœna, tanquam Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, panē & vinum Deo obtulit *d* in corpus & sanguinem suum conversum, jussitque discipulos hoc facere in sui commemorationem. *e* Qui licèt per mortem, ut novi Testamenti mediator, semel oblatus sit, ad multorum exhaurienda peccata, neque remissione jam facta, talis amplius

d *Act.* 2. *v.* 42.

e *Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* 1 *Cor.* 11. *v.* 24. *Luc.* 22. *v.* 19.

V. a *Mittet eis Salvatorem, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & muneribus. Isa.* 19. *v* 20.

b *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus. Ab ortu enim usque ad occasum Solis, magnum nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Malach* 1. *v.* 10.

c *Ministrantibus illis* (λειτουργούντων *sacrificantib⁹*) *Domino & jejunantibus, dixit Spiritus S. segregate mihi Paulum. Act.* 13. *v.* 2.

d *Tu es Sacerdos secundùm ordinē Melchisedech. Ps.* 109. *v.* 4. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei &c. Gen.* 14. *v.* 18.

ampliùs oblatio pro peccatis sit necessaria: habemus tamen pro sacrificio Cœnæ altare, à quo Judæi meritò arcentur, quodque agni Paschalis immolatione & esu præfiguratum est: *g* & sumus gens sancta, ac regale sacerdotium nostrum est, datumque nobis est ministerium reconciliationis, & pro Christo presbyterio fungimur, *i* tamdiu, donec tempore Antichristi tolleretur juge sacrificium. *Damnamus itaq; quotquot præter cruentum in cruce sacrificium Christum in cœna oblationem Deo incruentam sub panis & vini specie fecisse, eamq; in Ecclesiæ Sacerdotibus ad memoriam suæ mortis commisisse negant.*

e *Luc.* 22. & 1. *Cor.* 11.

f *Ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente remissionem accipiant, qui semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata. Hebr.* 9. *v.* 15. & 28.

Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Hebr 10. *v.* 17.

g *Habemus altare* (θυσιαστήριον *aram pro sacrificio*) *de quo non edere habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Hebr.* 13. *v.* 10. *Et Exod.* 12.

h *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* 1 *Pet.* 2. *v.* 9.

i *Dedit nobis ministerium,* (διακονίαν) *& posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo enim legatione fungimur seu presbytero.* (πρεσβεύομεν) 2 *Cor.* 5. *v* 18.

k *Cùm ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem. Dan.* 12. *v.* 11.

VI. Credimus Apostolis, eorumque successoribus datam esse potestatem in virtute Spiritus S. remittendi ac retinendi peccata, *a* modò hæc ipsis confiteantur, *b* & fidelium tempore Apostolorum exemplum sequantur, qui confitentes exponebant actus suos, & instrumenta peccatorum, manifesta illorum emendatione, sub-

VI. a *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ioh.* 20. *v.* 22.

b *Confitemini alterutrum peccata vestra. Iac.* 5. *v.* 16.

c *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant*

ovebant. *c Damnamus quotquot hanc in ministris ia potestatem non agnos- & talem confessionem à fi- s singularium actuum, e- ationemque, non exigunt.*

Credimus per impositio- nanuum, ab Episcopis, esbyterii collatione, sa- gratiam communicari *a* n temerè minus idoneis tiendam. *b* Quod suo ere Apostoli exemplo, do jejunio & oratione a, Paulum & Barnabam, nanuum impositionem, yteros, admissionē gen- ordinarunt *Damnamus e quotquot hâc viâ, & gra- el ordinati non sunt : vel non censet ordinandos.*

Credimus presbyteros sixæ rectè adhiberi, ut in o fidelium, per oratio- oleum in nomine D. N. adhibitum, ægros per m Spiritus S, tam à mor- uàm peccatis sublevent, *mnamus verò quotquot acramento gratiam hanc ri ægris, non agnoscunt.*

Credimus conjugium vi- mulieris, in Christo & sia Dei, Sacramentum per quod vir & mulier ificantur, ut & Christus us suā sanctificat Eccle- siam:

rant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Act. 19. v. 18.

7. a *Noli negligere gratiam (ô Timothee) quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* 1. *Tim.* 4. *v.* 14.

b *Manus citò nemini impo- sueris Ib. c.* 5 *v.* 22.

c *Dixit illis Spiritus S. segre- gate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, im- ponentesque eis manus, demise- runt illos. Act.* 13. *v.* 2.

8. a *Infirmatur quis ex vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Iac.* 5. *v.* 14.

9. a *Viri diligite uxores ve- stras sicut Christus dilexit Eccle- siam, ut illam sanctificaret. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Nam propter hoc relinquet homo patrem, & ma-*

siam : ideoque uxoris gratiâ etiam patrem & matrem relinquenda esse. *a* non tamen fidem spiritualis conjugii Deo violandam. *b Damnamus igitur quotquot Christi fidelium matrimonium tale negant Sacramentum.*

X. *Credimus* nihil contra Verbum Dei Scripturæ S. addendum, nihil eidem detrahendum esse. *a* Rectè tamen ab Ecclesia, & olim, & nunc, festos dies, pro arbitratu ad honorem & memoriam benefactorum Dei institui: ac teneri (dum Ecclesia præcipit) ad observationem illorum subditos, atque ritibus cultuque diverso eos merito in ministerio domus Dei, ex hominum, ut David olim fecit, instituto, exornari. *Damnamus igitur, quotquot has Ecclesiæ institutiones ac ceremonias S. Scripturæ non adversantes damnant.*

matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Eph 5. *v.*28.

b *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1.*Tim.*5. 11.

X. *a Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. Deut.* 4. *v.* 2.

b *Dies victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur &c. Judith.*16 *v* 31. *Esth* 11. *Mach.*4.

c *Obedite propositis vestris, & subjacete ipsis Heb.*13. *v.*17.

d *Ad cantandum in templo Domini distributi erant in cymbalis, in psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini, juxta Regem.*1, *Paral.*25. *v.* 6.

OBSERVATIO IN CAPUT V.

De S. Scripturis malè intellectis & expositis.

IN I. art. utraque Confessio sibi conformis erat.

II, Ab utrisque neglectum, in altera hac editione adjecimus Articulum III. paulò accuratiùs per solam S. Scripturam expressimus. Quam nec hic, nec alibi speramus rejiciendam.

In art. IV. Commentationem longam extra S. literas apponunt. Ex quâ hæc verba magis urgentia adfero. *Quandoquidem* ajunt, *Christus in cœnæ institutione disertè præcipit, ut corpus manducemus, & bibamus seorsum ejus sanguinem, Ecclesiæ obsequendum est &c.* Non dubium, si & præceptum sit, & de voluntate

te ejus tali constet. Verùm quamdiu vel scriptura S. vel invincibilis ex illa demonstratio, id manifestè factum, non evincet, tamdiu sua manet Ecclesiæ libertas. Scripturæ allatæ nihil indubiè præcipiunt: nam *manducate & bibite*, non præcipientium, sed invitantium, ex communi usu, verba sunt. Unde neque illud *facite*, quod prioribus innititur, mandati est. Quis enim convivarum sibi his unquam verbis imperari credidit? Evinco in simili: vix possunt magis præcipientia adhiberi verba, quàm illa Christi: *vos debetis alter alterius lavare pedes*: & tamen ex modo adjunctisque facti, Christiani id sibi imperatum esse, atque ad salutem prorsus necessarium non existimant. Stat igitur, vi horum verborum, certa præsumptio pro nostra libertate. Verùm faciamus præceptum esse. Quo argumento inexpugnabili ostendetur aliis, quàm Apostolis, hoc præceptum datum esse? cùm, ut præceptum erat, Matth. 26. *bibite ex eo omnes*; ita Marcus cap. 14. pòstquam soli ex eo bibissent Apostoli, dicat, *biberunt ex eo omnes*. Demus tamen universis hominibus datum esse. Unde constabit obligare singulos magis, quàm illud Gen. 1. crescite & multiplicamini? quod, si præceptum habet, (ut D. Aug. de Doctr. Christ. l. 3. cap. 17) toti orbi, non cuique sigillatim traditum est, ut & in multis Judæorum sacrificiis constat. Exod. Num. 20. Sed & singulos hominum hoc præcepto obligatos esse statuamus. Undè probabis verè illos non sumere Christi sanguinem, qui sub specie panis totum Christum accipiunt? Cur non dicetur verè bibere Christi sanguinem, qui illum suum in corpus suscipit, cum D. Virgo concipere Christum dicta sit, licet divinitus à Spiritu S. infusum excepisse: imò cùm is manducare corpus Christi feratur, qui illum sine omni comminutione dentium, velut spirituali transfusione, admittit? Quando enim ad hæc exprimenda voces desunt propriæ, transumptis utendum est. Denique, non dicatur bibere, nisi qui sub specie vini sumet. Unde novimus junctim esse cuilibet utramque speciem imperatam? cùm particula *vel* semel 1. Cor. 11 27. adhibita, hanc necessitatem laxet; neque abstemia quorundam natura rigidam illam legem patiatur Deum autem adversus quorundam naturam suis pugnasse præceptis, nemo dixerit. Hæc pauca ex multis adducere placuit, ut adversarii, qui hic tanquam in arce Scripturarum se pugnare existimant, debile observent suæ defensionis munimentum. Poteritne eorum quisquam hos omnes aditus obstruere, quorum

quorum vel uno parente, expugnati sunt? Procul igitur hisce, extra certam scripturam, præsidiis.

In IV. art. Melchisedechum Protestantes volunt tantum *protulisse ad Abraham & servos illius pascendos panem & vinum.* At sacerdotis simul hac in re functum munere, verba, non frustra addita, declarant: *erat enim sacerdos Dei altissimi*, aut in hebræa habent *& ipse sacerdos Deo*, confirmatque David, quando Christum secundùm talem sacrificantis ordinem Sacerdotem facit, quem in cœna panem & vinum obtulisse constat. Ut Cyprianus disertè cum veteri Ecclesia hunc locum accipiendum docet. Ep. 63. Ambros. lib. 5. de Sacr. c. 1. & August. l. 1. contra advers. legis & Proph. c. 20. & serm. 11. de Sanctis: & Scripturæ hic vim inferre nemo ingenus debeat. Quò etiam spectat ridicula adjectio, quod habeamus altare *pro oblationibus gratiarum actionis*: quasi verò illud sit, de *quo non habent edere potestatem Iudæi.* Heb. 13. Apage his corruptionibus verbi Dei, quæ apertam nimis sapiunt pravitatem.

In 6. art. 7. & 8. paucula quæ adjiciuntur, nihil obstant: à me tamen, quæ præter scripturam sunt, relinquuntur. Solennem clausulam, quâ S. literis contraria damnamus, Jure repeto.

In X. art. mirantur, quod cùm matrimonium Sacramentum esse dicamus, *non censeamus Ecclesiasticos hoc esse dignos.* Quasi verò quilibet ad quod vis Sacramentum adhibendus sit. Causam itaque ex 1. Tim. 5. apposui. *In gentibus* (quod extra scripturam adjiciunt) conjugium quidem, sed absque Sacramento, agnoscimus. Hoc enim solis Christi fidelibus proprium censemus.

In X. adjectionem de admittendis Ecclesiæ institutionibus *modò S. literis non adversentur*, facilè probamus.

CAPUT VI.

De cultu & invocatione Sanctorum Dei, ac honore reliquiarum, & imaginum.

1. *Credimus* Deum solum adorandum, *a* neque Angelum	1. a *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* Mat.

lum aut creaturam ullam adorandam præterea, ut Deum, *b* Unum etiam mediatorem agnoscimus Dei & hominum JesumChristum, per cujus sanguinem reconciliati sumus, *c* tamen exemplo Sanctorum non præcepto ullo) invitati, ... ctè Jacobum sequimur, qui ... st Deum, suum Angelum ... telarem invocabat, ut filiis ... oseph benediceret. *d* Uri & ... slue pronus in terram cadens ... orabat Principem exercitus ... omini *e* Tobias adoravit ... phaëlem, *f* Abraham tres ... gelos *g* Loth duos, *h* quos ... os fuisse Angelos hospitio ... eptos Paulus testatur *i* Hos ... n dum, ut Deo gratos, ve... ti sunt, ac deprecati, non ... is Deo injurii fuêre, aut ... sti mediationem neglige... i sunt: quàm cùm Paulus ... t. aliorum hominum a... Deum intercessionem ... lavit, nullo præcepto ad ... pulsus. *l Damnamus i... mnes quotquot vel divi... anctis honorem tribuunt, ... giosum cultum, atque in... nem, tantis exemplis ... am, damnant.*

Matt.4. v. 11.

b *Nemo vos seducat in humilitate & religione Angelorum 1.Colos.2.v.18. Apoc. 2.*

c *Vnus est mediator Dei & hominum; homo I.C.1.Tim.2.5. In quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus. Colos. 1. v. 19.*

d *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Gen. 48. v.16.*

e *Sum Princeps exercitus Domini (inquit Angelus) & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait, quid Dominus meus loquitur ad servum? Ios. 5. v.14.*

f *Tob. 12. v.12.* g *Gen.18.* h *Gen.19.* (i) *Hebr.13. v.2.*

l *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus, 2. Thess.3. v.1. Hebr. 13. v.18. Rom.15. v.30.*

... *edimus* Sanctos in cœ... lligere preces homi... m de unius peccato... itentia majus sit in cœlo

II. a *Majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm 99. justis &c. Luc.15. v.7.*

b *Matt.*

cœlo gaudium, quam 99. justorum constantia, *a* tam coram Angelis, quam aliis Sanctis, qui erunt in cœlo sicut Angeli Dei: *b* ita Samuel a muliere invocatus adfuit, quem Saul in terram inclinatus adoravit, *c* Abraham post mortem de Moyse & Prophetis, de Epulonis & Lazari vita, *d* de aliis, quos pro suis agnoscere filiis noluit, *e* multa intellexit. Præterquam quod adu ministratorii spiritus sint, ad nostrum servitium missi ut ad salutem nos ducant, *f* preces nostras Deo offerant, uti etiam 24. senioribus in cœlo factum, Johannes meminit, *h* & quidni tantum his, quantum dæmoni accusatori fratrum (*i*) tribuamus? *Damnamus ergò illos, qui Sanctos preces nostras exaudire negant; aut hanc exauditionem sentiunt divino nomini & gloriæ adversari* k

b *Mat* 22. *Marc.* 11. *Luc.* 20.
c *Intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit* 1. *Reg.* 28 *v.* 14.
d *Luc.* 16. e *Isa.* 63 *v.* 16.
f *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis. Heb.* 1. *v.* 14.
g *Quando orabas cum lacrymis ego obtuli orationem tuam Domino. Tob.* 12. *v.* 12.
h *Apoc.* 5. *v.* 8. (i) *Apoc.* 12. *v.* 10.
k *Psal.* 50. *v.* 15 *Isa.* 42. *v.* 8.

III. *Credimus* invocatos audientesque preces nostras pro nationibus, aut personis etiam singularibus intercedere, & preces offerre Sanctos; ut apud Zachariam Prophetam Angelus pro Jerusalem, & miseratione urbis illius, Deum est deprecatus, *a* & Raphaël Tobiæ preces obtulit *b* *Damnamus illos itaque, qui hanc nobis sigillatim curam negant Sanctos impendere.*

III. a *Angelus Domini dixit: Domine exercituum, usquequo tu non miserebris Sion. & urbium Iuda, quibus iratus es. Iste jam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus Angelo verba consolatoria Zach.* 1. *v.* 12. b *Tob.* 12. *v.* 12.

IV. *Cre-*

IV. a Glo-

IV. *Credimus* Ecclesiæ Christi à Deo promissum, quod & locum illius sit glorificaturus, & vestigia Sanctorum illic impressa adoranda sint. *a* Ipsam arcam à David in veneratione habitam novimus. *b* Quodque Rex Josias ossa sepulti Prophetæ in honore habuerit *c* Denique & sepulchrum Christi fore gloriosum, *d* placuitque Deo, per sudaria & semicinctia Pauli cum veneratione adhibita etiam miracula, morbis dæmonibusq; fugatis, operari. *Damnamus illos igitur, qui rebus Sacris ad Christum Sanctosque pertinentibus, & sepulchro, & Cruci Christi aliisque reliquiis, similem observationem exhibitam damnant.*

IV. a *Gloria Libani ad te veniet ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi. Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem. Isa.* 60. *v.* 13.

b 1. *Reg.* 6. (c) 4. *Reg.* 23. *v.* 17. d *Isa.* 11. *v.* 10.

e *Virtutes quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferebantur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Act.* 19. *v.* 11.

V. *Credimus* nullum signum, aut sculptile faciendũ, ut adoretur: *a* Verùm signa & imagines ad excitandam in nobis memoriam, & venerationem erga Deum, aut Sanctos, exemplo Cherubin in arca propositorum, aut serpentis in deserto, *c* Christi crucifixi speciem præferentis adhibere, laudabile censemus: & in nomine Jesu genua inflectere, ut eum Dominum & Salvatorem nostrũ confiteamur. *e Damnamus itaque quotquot, vel divinum honorem signis Dei, & SS. exhibent, vel externum similem prohibent.*

V. a *Non facies tibi sculptile ut adores illud. Exod.* 20. *Deut.* 4.

b *Congregavit David omnes electos ex Israel triginta millia, ut adducerent arcam Dei super quã invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubin super eam.* 2. *Reg.* 6. *v.* 2.

c *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. Nu.* 21. *v.* 14

d *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet fil. hom. &c. Ioh.* 3. *v.* 14.

e *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur. &c. Phil.* 2. *v.* 10.

OB-

OBSERVATIO IN CAP. VI.

De usurpatis malè scripturis, & extra has insertis expositionibus.

IN art I. ridiculum est, quod pro Angelo, quem Jacob invocabat, Christum intelligi velint, eò quod Malach. 3. v. 1. Christus dictus sit *Angelus testamenti.* Quasi verò Christus nondum natus singularis custos Jacobi potiùs fuerit, solâ mente prævisus, quàm Angelus tutelaris illi à Deo attributus. An nescimus quod *Angelis suis Deus mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis?* Quod si dicas Christum, quà Deum, à Jacobo invocatum: repugnat, quòd eodem loco, ante Angelum Deus sigillatim invocetur. Debet igitur hæc commentatio, & tam difforme commentum omitti.

Ceterùm, quid ad alia cultorum Angelorum exempla adferunt? Audite: dicunt, *hunc cultum fuisse politicum.* Qui verò id potuit? Cùm ex suo quisque objecto cultus distinctionem accipiat. An Josue & Tobias civem se aliquem, aut Principem humanæ reip. venerari credebant, & non potius de cœlo Angelum, cui, intuitu Dei sui, honorem deferrent? Non igitur civilis hic cultus, sed religiosus erat; nisi omnem philosophiam, quæ actus per objecta specificat, eversum eas. *At Deus,* inquiunt, *hæc nobis non præcepit.* Nec Jacobo, nec Josue, nec Tobiæ hæc veneratio præcepta erat; an igitur laudabiliter facta non est? Voluntariè, ait David (Psal. 53. v. 8.) sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. *Sed Deo* inquiunt, *soli hic honor & invocatio debetur, & præcepta est.* Joël. 2. v. 32. psal. 49. &c. Non ille honor, nec talis invocatio. Est enim indigna Deo postulatio, *intercede, ora pro me:* &c. Apage his, & divinum honorem soli Deo tribue. Verùm, instant, *Christo, mediatoris, qualis est,* 1. Tim. 2. munus *adimitur.* Non adimitur, sed magis etiam adstruitur; quia solus manet, per sanguinem mediator. Colos. 1. virtute cujus, etiam Sancti impetrant. Quidquid hac virgula tangitur, aureum est. Nimis igitur coarctant vim sanguinis Christi, qui hoc sanctis negant. Denique si homo intercessor rogari à Paulo potuit, sine injuria mediatoris Christi; quid ni possit à nobis Sanctus & Angelus? Procul igitur frigidis hisce commentatiunculis.

In II. art. Impertinens est hoc loco, quod ex Psal. 49. v. 15. Matth. 4. & Isa. 42. v. 8. adjicitur de solo Deo invocando: nam in hoc art. tantùm agitur de exauditione Sanctorum.

In III. art. postquam admiserunt intercedere pro nobis Sanctos, malè subnectunt: *Hoc tamen à nobis petendum non esse.* Quare obsecro crimen est, hoc nos petere, quod illi piè exequuntur? Aut scripturam vetantem promite, aut tam malè hærentia oblitterentur.

In IV. art. honorem reliquiis Sanctorum permittunt: *modò* addunt, *de illarum veritate constet.* Gaudeo nihil gravius ...icobstare. Negligat, qui prudenter metuit: aut certè in signo ...ualicunque, Deum, aut Sanctos ipsos mente spectet; ita nun...uam veneraturus errabit.

In V. Nihil scrupuli reliquum est; nisi quod *neque præcep...m, neque necessariam putent in* N. T. *imaginum venerationem.* ...ctè, neque præceptum quoque, neque necessarium est, ut ...ajorum suorum imagines, aut Cæsaris Principumque mul... habeant. Et tamen in aulis, in numismatis, in annulis non ...lè circumferunt. Quod si reprehendi nequeat; & hæc ...s Christi Sanctorumque amatoribus observatio non erit ...eganda. Libera, non necessaria pietas est. Hæc igitur ...versa, præter sacras inserta literas, jure à me hac Confessio...unt eliminata.

CAPUT VII.

De Purgatorio, & cœlesti gloria.

Credimus sub terra reperi... ...i nomini Jesu reveren... præstent. *a* & quod Deus ...dã ad inferos deductos, ...dem reducat liberatos, *b* ... vi redemptionis Jesu ...ti; ut in sua ipse morte ... ab hac captivitate Pa... ...nimas liberavit *c* Quod ...n futurum est, donec omnes

1. a *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestium, & inferorum. Phil. 2. v. 10.*

b *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. 1. Reg. 2. v. 6.*

c *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua* Zach. 9. v. 11.

D   d Et

mnes à corruptione liberi, corpore etiam in libertatem filiorum Dei asserentur. *d Damnamus igitur omnes, qui tales sub terra captivos Christum venerantes, ipsiusque sanguine redimendos, ex carcere negant reperiri.*

II. *Credimus* justum adeò strictumque Dei judicium esse *a* ut nec otiosum quidem verbum, allaturus homo in extremum judicium sit, quod impunitum maneat, *b* aut iram in fratrem conceptam esse, quæ illic in carcere usque ad ultimum quadrantem pœnæ promeritæ exsolvenda nõ sit, ideóque, & post hanc vitam, remissionem in quibusdam pœnis, in aliis nullam reperiri, *c* & istæ quidem electorum, atque in Christo opera sua fundantium, pœnæ futuræ sunt, quæ imperfectiones adhærentes, tanquam stipulas fœnumque, per ignem purgantem, consument; ut ipsi denique salvi fiant; nec eis quidem demptis, qui in fine mundi, nondum satis in vita Christi passionibus communicarunt: *e* hi enim, nisi immaculati reperti fuerint, per eundem ignem, qui omnia in terra consumet, ad puritatem usque expurgandi sunt. *Damnamus illos igitur, qui adhuc levibus maculis pœnisque obnoxios, citra hanc purgationem, à morte*

d *Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom.8.v.21.*

II. a *Iustus es Domine, & rectũ judicium tuum. Psal* 118.*v.*137.

b *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth.*12.*v.*36.

c *Qui dixerit contra Spiritum S non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Ib.v.*32.

c *Qui irrascitur fratri, reus erit judicii; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Esto consentiens fratri, ne fortè in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Mat.*5.*v.*22.*&c.*

d *Vniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus mãserit, quod superædificavit (super fundamentum C.I.) mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, &c.* 1.*Cor.*3.*v.*13.

e *Communicantes passionibus Christi gaudete, ut & in revelatione ejus gloria gaudeatis.* 1.*Pet.*4.*v.*13.

f *Adveniet autem dies Domini, ut fur: in quo cœli magno impetu*

morte ad gloriam cœlestem admittunt.

petu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur. Propter quod charissimi exspectantes, satagite immaculati, & inviolati ei inveniri, in pace. 2. Petr. 3. v. 10.

III. *Credimus* bonis vivorum operibus mortuos adjuvari posse, *a* ideoque mortuorum in prælio Saulis & filiorum ejus gratiâ, viros Jabes Galaad septiduo jejunasse, *b* & Judam Machabæum pro militibus occumbentibus sacrificia Hierosolymis curasse; quòd hi qui cum pietate ceciderant, optimam in his spem repositam haberent, siquid fortè noxæ ex raptis donariis idolorum, aut alio scelere contraxissent, ut per vivorum preces & sacrificia à peccatis expiarentur. *c Damnamus ergo quotquot ejusmodi vivorum pro mortuis intercessiones damnant.*

III. a *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? 1. Cor. 15. v. 29.*

b *Tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus, de muro Bethsau, veneruntq; Iabes Galaad & combusserunt ea ibi & jejunaverunt septem diebus. 1. Reg. 31. v. 13.*

c *Iudas facta collatione 12. millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitās (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum pro mortuis orare) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. 2. Mach. 12. v. 42.*

IV. *Credimus* Sanctorum non minus in cœlesti gloria, quàm stellarum in cœlo diversitatem in claritate haberi, illosque inprimis, qui hic ceteris demissiores animo fuerint, istic præ reliquis exaltandos; siquidem unusquisque pro

IV. a *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15. v. 41.*

b *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major*

pro ratione operum ac virtutis suæ mercedē exspectabit. *Damnamus itaque, quotquot nullâ habitâ ratione operum nostrorum, patres omnes in cœlesti gloria faciunt.*

major in regno cœlorum. ***Mat.*** 18. *v*. 4.

c *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem* 1. *Cor.* 3. *v.* 8.

OBSERVATIO IN CAPUT VII.

Quid hic præter Scripturam Protestantes adferant.

IN art. I. relinquo Protestantium sententiam ex Paulo Rom. 8. v. 21. sed quæ, ex suo judicio interserunt, juxta utrimque receptam de sola hic scriptura admittenda, legem, meritò sustuli. Et quomodo per inferos (ubi Christum venerantes lateant) sepulchrum intelligent, quod animam non claudit, sed corpus?

In II art. facilè admittimus ex Psal. 48. v. 8. *hominem citra Christi redemptionem, se solo, placare Deum non posse,* Id quæritur, an suppositis Christi meritis queat? Quod tum alibi, tum hic ex scriptura asserimus.

Fingere verò ignem purgatorium, esse *Spiritus S. ignem* Act. 2. plusquam ridiculum est, & in re tam insolenti ex scriptura adstruendum. Ceterùm quem *ignis tribulationis.* Pet. 4. v. 12. in hac vita satis purgaverit, à morte alium non sentiet. Stabit itaque inviolata scripturæ propositæ sententia.

In art. III. quod ex 2. Mach. 12. v. 45. apponit, nostram egregiè mentem confirmat. De horum enim purgatione agitur, *qui cum pietate dormitionem acceperunt*: nam impiorum nulla redemptio est. Cetera proprii oris verba, oblationes factas, *ut mitigaretur Iudicis sententia in extremo mundi die,* nullum extra scripturam, cum qua loquimur, pondus habent. Et quæ obsecro mitigatio hæc erit? cum ad dexteram stantibus non sit necessaria, ad sinistram non exspectanda.

In IV. art. partis utriusque consensus laudabilis est. Qui & in reliquis juxta Scripturæ S. normam, diligentius expensis, jure erit exspectandus, nisi Deum, salutem, suamque ipsi adversarii professionem, ex S. literis controversias definiendi, velint deserere.

CAPUT

CAPUT VIII.

Epilogus Confessionis utriusque.

ADvertendum postremò est, quosdam nobis articulos ad fidem salutemque proponi necessarios, qui tamen nec disertè prorsus clarèque in S. literis continentur: *nec* b *infallibili ex illis consequentia deduci possunt*, ideoque solum admittuntur, quia vetus primaque Ecclesia in Conciliis, symbolis, & Patribus hoc sensu acceptavit. Exempla subjiciam.

I. *Credimus* Deum in essentia & substantia unum esse, trinum in persona & subsistentia. Quam tamen distinctionem Scriptura disertè non aperit, nec manifesta infert consequentia. Nam licet 1 Joh.5. v.7. dicatur; *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S; & hi tres unum sunt*: tamen cum scriptura non definiat, quomodo unum sint: imò unitatem hanc in voluntate potius, quàm substantia constituere videatur: cum Christus sic Patrem roget? *Serva Pater, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos*: Joh.17.v.11. & *ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te*: v.21. ex sola Scriptura constare infallibiliter nequit, uter sensus necessarius sit. Nulla enim scripturæ verbis hic definitur.

II. *Credimus* Christum in substantia æqualem Patri, & nec majorem illo, nec minorem, ex eo quod Christus dicat, *ego & pater unum sumus*, & Philippo, *qui videt me, videt & patrem meum*. Joh.14. v. 9. & tamen ibidem dicit: *Vado ad patrem, quia pater major me est, &c. sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio* v.28.& 31. Uter verò sensus fundamentalis sit, ex quo alteruter horum explicandus sit, nulla scriptura disertè definit.

III. *Credimus* baptismum & cœnam Sacramenta esse, cùm tamen S. Scriptura non exponat, quid Sacramentum sit, nec ista hoc nomine insigniat, nec clarè doceat, plura ne an pauciora, an quo denique numero reperiantur?

IV. *Credimus* baptismum hæreticorum ac puerorum validum, neque iterandum: & tamen cum Augustino ac Luthero fatendum nobis est, hoc in S. literis, clarè non continere. De qua re vide Augustinum contr. Donat.l.2.c.7. & Epist.174. & Lutherum contra Anab. Tom.4. Jen.f.327. Synodum Dordracenam

dracenam contra Venatorem p. 3. & 5.

V. *Credimus* Evangelium Matthæi, Lucæ, aliosque S. Scripturæ libros continere verbum Dei, & tamen in verbo Dei hoc minimè expressum est. Imò si quæ hoc scriptura traderet; nulla revelatione tenemus, hoc ipsum, quod nobis ista loquitur, verbum Dei esse. Neque S. Scripturam ex nudo aspectu licet à profana discernere; ut e. g. Sitne Evangelium Bartholomæi Dei verbum, an profanis accensendum? Postremò, de ipsis Conciliis, Symbolis, & Patribus certi esse nequaquam possumus, nisi Traditiones & autoritatem Ecclesiæ admittamus. Quæ res de Ecclesia audienda, adeò certa atque usitata est, ut Calixtini in superiori Saxonia, Arminiani in Hollandia, solum per Ecclesiæ Protestantium definitiones, atque autoritatem à reliquis symmystarum potuerint separari.

Quæ cùm adeò manifesta sint, ut negari non possint: quid est, quod vetemur in necessariis fidei articulis, exortisq; de his controversiis, quas S. literæ disertè non definiunt, ad veterem mille & quingentorum annorum Ecclesiam recurrere, ejusque judicio ac sententiâ niti? Quare cum Arminianis ac Calixtinis, à paucis Prædicantibus ac Theologis damnari, & velut infecta Ecclesiæ membra amputari poterimus: etiamsi verbo Dei & conscientiæ nostræ testimonio in veritate firmati, errorem nobis obtrudi, atque à via salutis nos abduci sentiamus. Si aliis Dortrechti ut Venator queritur) pluribusque in locis illud accidit, & nobis, ne eveniat, jure erit metuendum. Proinde si quæ nobis Ecclesia in fidei controversiis audienda sit, cuilibet æquo prudentique viro considerandum relinquo: an non vetus tot retro annorum Ecclesia, noviter hac ætate formatis Ecclesiis præferenda sit; cùm articuli supra memorati, imò S. Scriptura universa, sine illius autoritate, nequeat subsistere?

Quocirca apud totius Christianæ reip. tam secularis, quàm Ecclesiastici regiminis, capita ac Principes jure querimur. Quòd, cùm illi nobis ad æternam non minus quàm temporalem salutem promovendam à Deo propositi sint, tamen eorum indulgentia per Rom. Imperium in Ecclesiis atque Universitatibus tam perniciosa novitas, & judiciorum privatorum libertas concessa sit, ut perversâ Scripturarum tractione, mutilatione, ac quorundam etiam librorum subtra-

ctione,

ctione, tot populi ac nationes à veteris Apostolicæ Ecclesiæ obedientia, atque obsequio (cujus autoritati universam S. Scripturam debent) ad præsentem æternamque tot hominum ruinam seducant, adeóque manifesta jam plurium annorum experientia constet, quinam illi sint, qui hac novitate, tam seculare, quam Ecclesiasticum regimen perturbent, ac dissipent.

Unde iterum iterumque flagitamus, ut hi novitatum sectatores, ad hoc minimum ex æquo justoque præstandum cogantur, quod publica se professione testantur agere, & articulos hosce ex S. tantùm scriptura propositos firmatosque universè teneantur agnoscere, atque admittere. Quod siqui tamen, ad majorem horum lucem, producenda nonnulla existiment; propria sub prætextu scripturarum (ut hæreticis mors est) non admisceant: verùm ex sensu veteris Ecclesiæ ab Apostolis per successionem tradito loquantur. De quo, si minus constet, verbo Dei scripto claroque, citra additionem ullam, detractionemve, aut mutationem, propriè receptæ magisque obviæ verborum significationi constanter insistant, credantque illa etiam, quæ humano satis ingenio assequi nequeunt, divinâ fide recipienda esse. Si enim captivemus intellectum in obsequium Christi & verbi Dei, de vera fide & concordia brevi inter nos conveniet. Si Ecclesiam audierimus, ubi inter nos dissensio nata est, brevi pax, altercationibus positis futura est. Quæ nobis largiatur Deus pacis ac concordiæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

***

OBSERVATIO IN EPILOGUM.

De consensu partis utriusque, & quare Protestantium caussa, nisi acquiescant, concidat.

HIc epilogus ab utraque parte, tam Catholicorum, quàm Protestantium admissus est. Ex quo manifestum est Ecclesiæ autoritatem traditumque illi Dei verbum etiam juxta utrosque agnoscendum. Citra hoc enim articuli illi quinque antè propositi, de fide esse non possunt: cùm objectum fidei divinæ necessariò sit purum Dei verbum.

Verùm in una particula, *tamen* (quam pro *nec* adhibent) dùm ajunt, *infallibili tamen consequentia*, subjectos videlicet quinque fidei articulos aliosque (quos clarè scriptura non exponit) *deduci ex illa posse*, evertunt pleraque, & sibimetipsis etiam contradicunt. Nam admittunt, quinque illos articulos in scriptura clarè non contineri: non igitur poterunt, sine periculo fallentis sequelæ ex ea deduci. Quod enim obscurè tantùm, in suis apparet præmissis, non semper infallibilem potest gignere consequentiam. Deinde nulla in his articulis demonstratio, ex utraque præmissa verbi Dei scripti producetur, quæ infallibiliter concludat. Si autem altera propositionum ex ratione fuerit, conclusio non poterit complecti purum verbum Dei, ideoque nec esse de fide divina, quæ nullius verbi, nisi divini tantùm autoritate movetur. Quod si igitur Protestantes de tali hic agant consequentia, quæ ex puro puroque verbo Dei per elenchum deducatur, facilè hanc illorum additionem patiemur: si minus, vana est, neque æquos unquam defensores repertura. Ceterùm, cùm num. 1. sententia D. Joh. 1. Ep. 1. c. 5. v. 7. placuerit, eam plenè cum alia eodem spectante adjeci, ut ex junctis rectius lector judicet.

Admissis igitur tam æquis utrimque postulatis, de audienda in controverso scripturæ sensu Ecclesia potius, quàm ut privato judicio illius sententiam definiamus. Cavendum erit, ne Protestantes recurrant ad solenne quorundam effugium, quo dicunt se Ecclesiæ aut SS. Patrum sensum admissuros, si is cum S. Scriptura conveniat.

Nam

Nam hoc est manifestè principium petere, & ambulare in circuitu. Dum enim quæritur, an Ecclesiæ judicium, non sit privato cujuslibet judicio præferendum? Simul in illa universali quæstione hæc particularis continetur: an non potius *Ecclesiæ standum, quæ suam sententiam magis esse conformem S. Scripturæ judicat, quàm mihi, qui meam Scripturæ magis esse conformem judico*? Quæro enim, an quilibet existimet, se in hoc conformitatis judicio falli posse, an non? Si falli nequit, jam ipse solus supra omnem incedit hominem, in hoc judicio infallibilis, contra propria Protestantium edicta, qui statuunt, quemvis hominem suo judicio falli posse. Æquius profectò cujusque erit Ecclesiæ judicio, quàm proprio acquiescere.

Itaque sperem bonæ mentis fuisse in sua Confessione Protestantes, quique ad optandam in orthodoxa veritate concordiam aspiràrint. Cum enim Ecclesiæ Sanctorumque Patrum judicium prætulerunt privato cujusque judicio: & huic illud præferre debuerunt, quod ultimum conformitatis cum S. Scriptura judicium esse statuunt. Ut si in hoc Ecclesia cum quolibet privato concurrat, illa, juxta humanæ divinæque rationis leges, præferatur.

Animadverto hic æquum quemlibet ex Protestantibus mecum sentire. Verùm quia mihi cum duplici inter illos hominum genere rem esse intelligo: altero æqui bonique animi, quod ignorantia sola deflexit hactenus: altero perversæ mentis ingeniique, quod quævis mavult audere, quàm cedere veritati. Contra hoc mihi pugnandum aliquantò contentius est, ut etiamsi nolit victum suo in errore videri, & perire æternùm malit, quàm in tempore cedere: tamen invincibilium argumentorum robore adeò profligetur: ut vel coactum manus dedat: vel si perstet, non Angelorum modò, sed & hominum opprobrio sua confusione, aliorum correctione, palam & manifestè expositum maneat.

***

TRACTATUS II.

Demonstratio invincibilis, quod Protestantes ex sola Scriptura S. articulos suarum Confessionum fidei, contra Catholicos, nequeant tueri.

CAPUT I.

Nodus difficultatis in hac controversia proponitur.

Ostendimus breviter, quàm clarè diserteque, ex solis etiam Scripturis Sacris, puroque Dei verbo, Ecclesia Catholica fidei articulos, hac ætate maximè controversos, queat proponere.

Et quod Protestantes nihil in illis reprehensione ac mutatione dignum, opposita per se Confessione, offenderint: nisi ubi sui, legisque abs se latæ immemores, verba hominum divinis admiscere deprehensi sunt. Quem errorem, cùm profiteantur se nolle admittere, æquum erit, ut propositæ jam à nobis Confessioni acquiescant, aut siquid apponendum judicent, id omnino aliis quàm S. Scripturæ verbis non præstent.

Jam verò, quia non tantùm cum æquis hominibus (qui hanc ultrò veritatem amplexuri sunt) rem mihi futuram video, sed cum pertinacibus quoque & obduratis in propria opinione animis certandum sit. Hi ab illo proprii judicii asylo, quo pressi confugiunt, in lucem protrahendi erunt, ut veritatem propius assequantur. Solenne enim illis est, non sensu à Majoribus tradito, à Patribus confirmato, & in Ecclesia Catholica recepto (ut nos facimus) S. Scripturas proponere; sed suas ex S. literis & ratione propria formare consequentias, quas deinde cum expressa claraque Scriptura conferunt, ac si verbo Dei scripto consentaneas esse judicent, pro articulo rerum credendarum acceptant, & juxta hanc, ut ajunt normam, non tantùm proprias & alienas privatorum Doctorum, verùm etiam SS. Patrum, ac totius

totius Ecclesiæ sententias, seu confessionem fidei examinare præsumunt, ac suo denique judicio concludere, difformé ne, an conformes S. Scripturæ sint? & in hac sua dijudicatione, ceu definitione ultima acquiescunt. Qua in re, ut nos invicem intelligamus, ac penetremus rectè omnia;

Observandum diligentissimè est. Dubium esse non posse illi, qui semel Sacram Scripturam, ut Dei, atque in primis Spiritus S. in ea loquentis, verbum admisit, quin illa certissima & infallibilis regula ac norma sit, & si aliqua Confessio fidei, cum eadem ex amussim consentiat, hanc omninò verissimam esse, & acceptandam. Hoc enim Catholici omnes ultrò largiuntur: Agnoscuntque Romanam Ecclesiam universam ad hanc normam suos quoque expendere articulos, neque admittere, nisi huic conformes esse judicent. Quare totalis nostra de hoc ultimo judicio in præsenti disceptatione suscipitur, & quæritur; *an, si privatus quispiam fidelium, hoc formet judicium; mea hæc sententia, vel confessio fidei quam amplector, est conformis Scripturæ S. illa verò quam Ecclesia Catholica amplectitur difformis est: contraque hæc Ecclesia oppositum suo judicio concludit; talis homo tutò possit suo niti judicio, atque illud, quod universalis Ecclesiæ est, deserere?* Qua in controversia, si primum ego probavero, nullum privatum hominem posse esse certum tutumque in hoc suo conformitatis, seu convenientiæ judicio, quod ultimum est, & in quo denique acquiescit, tanquam veritate objecti victus: ac deinde, contra etiam evicero, majorem nullam hujus judicii certitudinem in mundo, quàm quæ Catholicæ Ecclesiæ est, reperiri posse. Causam universam obtinui, statuendumque erit cum Romano-Catholicis, privatum quemlibet ab Ecclesia in hoc judicio dissentientem, teneri sua desertâ sententiâ, illam quæ Ecclesiæ est amplecti, aut ut hæreticum ab illa discedere.

Agedum duplici illud Tractatu apud quemlibet æquum, nec pertinaciter uni partium addictum judicem me facilè effecturum confido: idque tam manifestis argumentis, ut palpari quodammodo veritas possit. In hoc igitur tractatu agam de modo, quem Protestantium quisque sequitur, illumque & minimè tutum, & variis

etiam

etiam lapsibus, erroribusque obnoxium esse contendam: in altero agam de ratione, quam Romano Catholica Ecclesia amplectitur, & qua ultimum hoc suum conformitatis cum prima veritate, in S. Scripturis loquentis, judicium firmat; & hanc longè solidiorem tutioremque, ac proinde ab omnibus veræ fidei salutisque amantibus acceptandam facilè evincam. Quemcunque verò hujus doctrinæ meæ obtrectatorem, iterum iterumque moneo, ut advertat me de ultimo conformitatis judicio, in quo, sine ulteriori probatione S. Scripturæ adhibitæ, standum est, potissimum loqui: ne in orbem inutili disceptatione circumagamur.

CAPUT II.

Regulæ bonæ interpretationis Sacrarum Scripturarum, juxta Protestantium doctrinam, proponuntur, & suis notis illustrantur.

VT intelligamus quæ Protestantium certitudo esse possit, dum fidei suæ articulos S. Scripturæ conformes esse statuunt, videndum nobis erit, quâ viâ ad Scripturæ sensum intellectumque penetrandum incedant.

Nam cùm illis, clarâ prius in luce, verbi Dei scripti sententia apparere debeat, quàm judicare queant, an conformem Scripturæ mentem sequantur: Regulæ modique quibus ad S. Scripturæ veritatem cognoscendam penetrent, expendendæ sunt.

Hæc enim si fallere possint investigantes, nihil certitudinis ab iis expectandum est. Quocirca illas primum regulas ex diligenti Protestantium præceptore *Conrado Dieterico*, Pastore Ulmensi proponam, quibusdam etiam Observationibus illustratas, ut illarum veritas magis innotescat.

Ita habet *in suis Catecheticis Institutionibus* ex Luthero, ut profitetur, depromptis, pag. 44. editionis Geissensis anni 1620.

I. *Omnis scripturæ interpretatio sit fidei annaloga* Rom. 12. v. 6. « Analogia autem fidei, inquit, nihil est aliud, quàm con- « stans & perpetua Scripturæ sententia, in apertis Scriptu- « ræ locis exposita, Decalogo, Symbolo Apostolico, ora- tione

tione Dominica, aliisque generalibus ac manifestis, de quo-"
libet doctrinæ capite, scripturæ dictis & axiomatis consen-"
tanea.

Observatio. Necessitas hujus regulæ magna est. Nam cùm sæpe Scriptura plurium sensuum capax sit, & nunc propriè, nunc translatè, nunc universaliter, nunc limitatè accipienda sit: quo me hoc in casu vertam? Duplex ostenditur norma (quam tamen ad unam Scripturæ revocant) alia constans & perpetua Scripturæ sententia, hoc est, quæ in uno definitoque sensu constanter in Ecclesia est usurpata: vel si hæc deficiat, ad receptum Ecclesiæ Symbolum, Decalogum, aliamque doctrinam, quæ conformis consentiensque S. Scripturis semper est habita, erit recurrendum. Neque enim alia apparet definiendi ratio, ubi hæc ex sola definitique sensus Scriptura nequit haberi. Idem magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus observavit lib. 3. de doctr. Christ. c. 2. *Distinctio ambiguorum, quæ in pronuntiando, aut interpungendo fit, necessária est S. Scripturæ intelligentiæ. Id autem fit ex locis planis, & fidei regula Ecclesiæque autoritate.* Quod si igitur hoc tempore quo multa Scripturæ loca in ambiguum sensum abstrahuntur, quæ ante Lutherum constantem & perpetuam in Ecclesia sententiam habuêre, definire ex Scriptura aliquis controversa desideret, hic ad pristinum Scripturæ usum sensumq; constantem, quem ex antiquis scriptoribus varii proponunt, se teneteur juxta hanc regulam convertere, qualem in Confessione superius proposita invenies. Nam quis alioquin ex hoc labyrintho exitus? Si ad hodiernam Scripturæ interpretationem se vertat, hæc nunc pro partium varietate in diversos sensus abstrahitur; si ad horum temporum Ecclesias, & hæ distractæ sunt per interpretationis dissensionem, ac proinde nequeunt per definiti modò sensus Scripturas dijudicari. Quia harum diversa significatio est, per quam, & propter quam potissimum discrepant.

Quare illud solum Augustini consilium nobis relictum est, quod idem supra lib. 2. cap. 8. tradit. *Solertissimus,* ait, *indagator canonicarum Scripturarum, autoritatem sequitur Catholicarum Ecclesiarum, quam plurium: inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt.* Similia de Gen. ad literam lib. 1. cap. ult. & contra Faustum l. 9. cap. 6. & 7. Ex quo facilè Protestantes intelligent, Ecclesiam non semper à privato ex S. Scriptura judicari in controversiarum

rum fidei decisione posse: cum enim integræ Ecclesiæ hanc in diversum sensum distrahunt, quomodo privatus contra omnes, uno scripturam definitoque sensu usurpabit, & ex illa hodiernas dijudicabit Ecclesias? Planè frivolum & audax cœptum, nisi ad constantem veteris Ecclesiæ sensum ex Scriptura haustum vertatur, & juxta hanc controversa absolvat. Ex quo etiam intelliget Confessionem nostram ab omnibus rectè sentientibus, communi obvioque, quo semper accepta est, sensu, admittendam.

II. *Omnis Scripturæ interpretatio referatur ad Dei gloriam.* 1. "Cor. 10. 31. & *ædificationem proximi* 1. Cor. 14. 26. quod Au"gustinus lib. 9 de doct. Christ. cap. 35. 36. confirmat. Om"nis, ait, Scripturæ interpretatio referatur ad dilectionem "Dei, & proximi.

Observatio Nullam hæc regula exceptionem patitur. Videndum igitur (ut exemplis antè propositis utar) majorne Dei gloria futura sit, & pietatis humanæ incentivum, si e.g. *Hoc est corpus meum*, propriè, ut Catholici volunt, intelligatur; an tropicè, ut Adversarii? an præsentia Christi in templis credita, tanquam admirabile divinæ charitatis opus, ejus honorē, nostram devotionē extollat? Nunquid eunuchis illis, qui se propter regnum Dei castraverunt, fas sit à promissione Deo facta, citra neglectum divini honoris, & humanæ pietatis, recedere?

III. *In Scripturæ interpretatione semper proprietati sermonis, "& literali interpretationi inhærendum.* Puta, *nisi ipsa Scriptu"ra, vel propter absurdum consequens, vel aliam ob causam aliter "fieri jubeat, & simul quomodo fieri debeat ostendat.* Bene Doctor "Lutherus, qui potest Grammaticum sensum ubique assequi, "is optimè dubio procul scripturam interpretabitur. Quan"quam verò in omnibus locis id nemo præstare potest, mag"nam tamen huc adfert vim intelligentia linguarum origina"lium, Hebrææ scil. & Grææ.

Observatio. Certum illud Augustini est, de Trin. cap. 12. *Nullo locutionis genere utitur S. Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur, quæ utique hominibus loquitur.* Quare & certum nobis esse debet, non esse à communi & proprio loquendi usu, sine manifesta necessitate recedendum. Manifesta autem necessitas tunc erit, quando contrarium & repugnans aliquid aliis Scripturæ locis, uno certoque ab omnibus sensu admissis, statuetur. Subsistendum enim aliquando est in Scrip-

turæ

turæ sensu claro & universim recepto. Nam prima principia extra omnem controversiam collocanda sunt; ne cum fundamentis tota moles religionis fluctuet. Sic videndum, an Scriptura sit quæ illi sententiæ propriè sumptæ, *Hoc est corpus meum*, eo modo adversetur. Talis verò esse non potest illa Joan. 6. sententia: *Verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Quia hæc impropriè significat, pluriumque capax sensuum, obscura & controversa est.

IV. *Scopus antecedentium & consequentium aliarumque circumstantiarum accuratè, adhibitâ aliorum locorum collatione, considerandus*, ut puta circumstantiæ personæ, temporis, locorum; item finis, materiæ, &c.

OBSERVATIO. Regula hæc Scripturæ sensum indagantibus planè est necessaria. Sic e.g. dictus superius Pauli locus 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est nubere, quàm uri*, si antecedentia spectentur, manifestè de iis intelligendus est, qui non tantùm utuntur, sed etiam se non continent. *Quod si non se continent*, inquit, ib. *nubant*. Si consequentia spectes clarum est præferri statum solutum conjugali. *Beatior*, ait *v. 40. erit, si sic permanserit &c.*

Aliorum quoque locorum collatio negligenda non est. Sic Paulus 2. ad Cor. 12. v. 7. prædictam interpretationem stabilit, dum se quidem ustum significat, non tamen ad nuptias, sed preces versum, stimulum carnis superasse. Ex hac collatione multæ genericæ propositiones, vel per speciales alias, vel etiam per oppositas, aut limitantur, aut obvio in sensu mutantur.

Ita Paulus qui Rom. 3. v. 4. dixit: *Omnis homo mendax*, de se ait 1. Tim. 2. v. 7. *veritatem dico, non mentior.* & ib. cap. 3. v. 15. Ecclesiam vocat *firmamentum veritatis*. Et qui 1. Cor. 10. v. 33. inquit: *Per omnia omnibus placeo*, ad Gal. 1. v. 10. ait. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* In iis itaque, ut veritas utrimque constet, limitatio ad certa hominum genera adhibenda erit. Homo enim ex prava inclinatione naturæ mendax, per Spiritum S. verax esse potest: & Apostolus, qui probis omnibus placuit, displicuisse ceteris. Mutatur quandoque etiam ex ejusmodi collatione sensus. Sic Jacobus ait cap. 1. v. 13. *Deus neminem tentat*, licet Gen. 22. v. 1. dictum sit: *Tentavit Deus Abraham*, ubi illud de tentatione ad malum inducente intelligendum est: *Deus* enim ut id Jacobus inquit, *intentator malorum est*: hoc de experimento virtutis.

V. De

V. *De unoquoque dogmate ex propriis sedibus (* locis ubi ex "professo tractatur*) judicandum.*

Observatio. Clarum est, in ambigua Scripturæ interpretatione; ceteris paribus, illis potius ultimò adhærendum Scripturæ sententiis, quas illic, ubi ex professo rem tractat, pronuntiavit: Ita cum de Sacramentis controversia est, eò te inprimis vertas, ubi de eorum institutione agitur.

De Eucharistia ambigis; veréne illic præsentem se Christus stiterit? vide Lucæ cap. 22. Matth. 26. &c. Si pronuntiet pane sumpto, *hoc esse corpus*, noli dissentire ac negare hoc esse, quod tam disertè asserit.

VI. *Obscuriora sunt ex clarioribus illustranda.* Sumantur, "inquit Aug. l. 2. de doct. Christ. cap. 9. de manifestioribus ex-"empla, & quædam certarum sententiarum testimonia, dubi-"tationem de incertis auferent. Huc faciunt etiam Docto-"rum interpretationes & commentaria. Sunt namque Cha-"rismata Spiritus S. varia.

Observatio. Neque hæc regula ad veritatis explorationem negligenda, quam ipsa nobis ratio suadet In qua tamen observandum; non requiri, ut res ipsæ credendæ nobis claræ perspectæque sint (nam *fides est credere, quæ non vides*, ut Aug. ait.) Sed ut verba sensuique verborum communi usu, atque etiam, si possit, autoritate divina fidei nostræ recepta sint, ex ejusmodi enim notis certior erit ignotorum interpretatio. Aliàs periculum erit, ne privato nos judicio, quæ clara, quæque obscura sint constituamus, nihil ex hac regula malè usurpata habituri certitudinis. Regula esse non potest certitudinis universim, quidquid à magna hominum parte, ut incertum rejicitur.

In reliquis tamen Scripturæ partibus clariores ferè habendæ sunt, quæ posteriores tempore ad aliorum illustrationem additæ videntur. Sic Veteri Testamento, Novum certius claritate sua censetur, Epistolæ quoque reliquorum Apostol. Paulinis, quòd in his *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravent*, Petrus agnoverit: Jacobus etiam quibusdam clarius exponendis operam dederit: ut & reliqui Apostolorum, qui post Paulum scripserunt. Ceterùm generalis hic ægrè nota reperietur, quæ clara ab obscuris discernat, nisi ad principium primo loco positum redeamus, & communi veteris Ecclesiæ usu subnitamur.

VII.

" VII. *Pauciora secundùm plura sunt explicanda.*

Observatio. Regula hæc, cæteris paribus, valebit. Nam quæ Scriptura pluribus inculcavit locis, vel certè paucis tam dilertè, ut à veteri orthodoxaque Ecclesia nunquam in controversiam abstracta fuerint, hæc nefas erit convellere, & pluribus scripturæ locis, in pari utrimque rationum pondere, erit acquiescendum.

Hisce regulis aliæ ab aliis adjiciuntur. Whitakerus controv 1. q. 5. c. 9. de verbo Dei apponit 1. *Ardentes preces*; quòd " Deus daturus sit spiritum bonum petentibus se. 2. *Interna* " *χειτήρια*, *seu testimonia Spiritus S.* cum ille sit, qui testimo- " nium perhibeat in nobis, quòd simus filii Dei. 3. *Lectionem* " *assiduam Scripturæ S. ejusque meditationem & contemplatio-* " *nem*.

Observatio. Non ineptè hæc adjunguntur; cùm sine auxilio Spiritus S. nemo possit credere ad salutem, ideóque nec Scripturæ sensum assequi: hic verò otiosis ac perfunctoriè S. literas scrutantibus obvenire non soleat, sed sedulò Deum obtestantibus, neque necessarium laborem fugientibus. Sed cavendum erit; ne quis proprii amore judicii deceptus, illud pro oritorio, Spiritus S. substituat, ut facit privatus, qui à communis Ecclesiæ Doctoribus dissentit: de quibus Joannes 1. Joh. 4. v. 6. inquit: *Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.*

Nunc dicta velut in compendium redigo cum D. Augustino l. 3. de doct. Christ. cap. 2. *Ambiguitas*, igitur, *& repugnantia, quæ videtur in S. literis ex ipsius textus consequentia, & adjunctis, tollenda est. Si autem Scripturæ repugnantia pertractari, ac discuti non potest, saltem id intelligitur, quod fides sana præscribit.*

His pro recto usu atque interpretatione Scripturarum suppositis, primum præcipuumque controversæ religionis caput (an videlicet Romanæ Ecclesiæ Adversarii uno soloque Verbo Dei scripto, ejusque certa interpretatione nitantur?) aggrediamur. Deus Opt. Max. ita animum scribentis legentisque regat, ut in veritate atque orthodoxa fide acquiescant.

CAPUT III.

Argumentis pluribus, iisque invictis, demonstratur, Protestantes de verbo Dei, veráque ejus interpretatione certos non esse.

Synopsis rationum Protestantibus adversantium.

N. 1. *Protestantes non sunt certi de verbo Dei, nisi per Ecclesiam adversariam, cui tutâ conscientiâ non possunt fidere, quia hæreticam censent.*

N. 2. *Nullam possunt rationem adferre solidam rectæ interpretationis, & non nisi talem, qua etiam Hæreticus utitur, atque ex qua tam falsum, quàm verum sequitur.*

N. 3. *Ad originarios textus provocant, unde cum vulgus haurire nequeat, incertum manet; cum teneatur credere Doctoribus errori obnoxiis.*

N. 4. *Incerti sunt, an ipsi originarii textus manserint incorrupti.*

N. 5. *In ipso originario textu multiplici expositione, tum in sacrorum librorum delectu à se invicem dissident.*

N. 6. *In ambigua interpretatione, modò ad Ecclesiam, modò ad privatum spiritum, modò ad ipsam scripturam sese inconstanter circumagunt.*

N. 7. *Vt Luthero viam aperiant scripturam contra Ecclesiæ Doctores interpretandi, multis seculis nullos in Ecclesia veros scripturæ Doctores fuisse tradunt.*

N. 8. *Lutherum tamen, aut Calvinum, nullo probabili argumento à Deo ad hanc doctrinam vocatos asserunt.*

N. 9. *Nullius Romanam Ecclesiam erroris in scripturis interpretandis convincunt.*

N. 10. *Suum sensum sententiamque disertis S.Scripturæ verbis exhibere nequeunt.*

N. 11.

N. 11. *Nec infallibili consequentia possunt evincere.*

N. 12. *Vulgo fidelium constare nequit, an infallibili expositioni verbi Dei nitatur, an verbis Prædicantium?*

N. 13. *Ipsi Doctores, ex natura iniquis affectibus obnoxii, certi suæ expositionis esse nequeunt.*

N. 14. *Nemo omnium certus esse potest, se regulas ac media rectæ interpretationis, prout oportet adhibuisse.*

N. 15. *Neglectio præscriptarum Regularum exemplo declaratur.*

N. 16. *Unius etiam Regulæ primæ de Analogia observatio ostenditur impossibilis, cum Acatholici ipsum symbolum & fundamentales scripturas evertant.*

N. 17. *Nullus certo argumento demonstrare potest; se in collatione scripturarum & tenuisse debitum ordinem, & verum ex pluribus sensum delegisse.*

N. 18. *Nemo certus esse potest, se spiritum veritatis, sua interpretatione, assecutum esse.*

N. 19. *Nemo certus, an substantiales articulos, atque ad salutem creditu necessarios teneat, cum de his nondum Adversarii convenerint.*

N. 20. *Suo ipsorummet judicio depravatè scripturam interpretari convincuntur; quod communi sententia sese invicem omnes erroribus obnoxios esse statuant.*

Etiamsi cuilibet Novatorum parti hoc, quod postulant, daremus: Veram orthodoxamque per Lutherum, Calvinumve, aut quemvis alium, excitatam esse Ecclesiam, Romanam verò apostaticam erroneamque videri: sana tamen Scripturarum divinarum interpretatio illis credi gravissimis de caussis numquam posset. Non diu circumducam, strictim hanc veritatem cuivis prudenti demonstrabo.

I. Etenim de ipsis S. Scripturis nihil certi, & quo tutâ possint conscientiâ acquiescere, reperient. Sola hominum fides, atque opinio erit, cui innitentur. Siquidem non aliâ, quam autoritate traditioneq; Ecclesiæ Scripturam per manus hominum acceperunt. Cujus illi autoritatem, cùm fallibilem

 asserant,

asserant, quo argumento docebunt, se ab illa, quæ fallere potuit, falsos non esse?

Deinde à Romana acceperunt Ecclesiâ, quam cum ipsi hæreseos condemnent, quâ conscientiâ illi fidunt, hac in causa, unde totum Religionis fundamentum, veritasque libratur? Quid? quod eandem multarum in S. Scriptura corruptelarum arguant, libros apocryphos pro veris acceptare contendant, adeoque in eâ damnent parte, in qua ipsi potissimum suæ religionis robur collocatum possident. Ut proinde hac secum in re manifestè pugnare videantur, eandemque Ecclesiam, ut synceram integramque in Scripturis tradendis audire, rursumque, ut corruptam depravatamque aspernari; Scripturam non Ecclesiæ, sed suo postremum ingenio probare, aut rejicere.

Neque est, cur, ex Græcis Hebræisque fontibus sese limpidiorem haurire credant. Ut quæ in ejusdem Ecclesiæ relicta manibus, pluribus etiam objecta hostibus, facilius nullo observante depravari potuerint, cùm vulgatæ versioni plurium oculi advigilarent.

Denique per traditionem Ecclesiasticam ad nostra hæc tempora S. literæ deferuntur. cùm tamen adversarii traditiones ejusmodi repudient, aut igitur has tolerent necesse est, aut S. simul Scripturæ obnuntient. Si patres Conciliaque in hac errare traditione potuerunt, ut in partibus bibliorum erratum asserunt, quomodo in reliquis libris facto ipso non aberrasse evincent? Ut hic se nobis explicent Novatores, alii ad Scripturam ridiculo se conatu vertunt, quam, unde sit, nondum certò habent exploratum; & hanc diversis locis testari asserunt, se esse verbum. At quo pacto probabis, has ipsas sententias, quæ id adstruunt esse verbum Dei? Etiam Alcoranus Mahometicus, & Talmund Hebraicus hoc sibi testimonium dicunt, an idcirco his credimus? Alii S. Scripturam sua velut ex fronte, & divina quam spirat indole agnosci posse dictitant, non secus ac solem suo ex lumine; ita ut illa sit, quæ simul & cernitur, & quâ oculi intellectus nostri irradiantur. Quid tibi de tam specioso phantasmate videtur? Euge, baptizato adultiori, & primis fidei rudimentis imbuendo, hinc libros Talmudicos, inde S. nostra Biblia propone; putasne nativâ hæc ab illis luce distincturus est? Hoc si ex sole tanta lux affulgeat,

fulgeat, cur ad eam gentes non festinent? aut si tantum renati pateat, cur non eam perinde his in libris Lutheranus & Calvinista observat? cur ex his nonnullos, quos alii repudiant, agnoscunt alii? An quidam tantum ex illis aquilæ, Catholici verò omnes in tanta luce talpæ aberrant? Scriptura eadem eodem dictata loquensque spiritu, cur primùm accedentes tam ambiguo confundat lumine, & hos ad veritatem, alios ad errorem ducat, cum eandem lucem ambitiosè investigemus omnes? Postremò, cùm hæc lux aliud nihil esse possit, quam dictamen aliquod Spiritus sancti loquentis testantisque animis nostris, hanc, illamve esse scripturam à Deo: necessariò cum Enthusiastis admittendum erit, verbum aliquod Dei internum, non scriptum, quod si uno hoc admittamus controversiæ articulo, ut ubique non dominetur, nulla ratio impediet. Accedit, quod hæc lux utique orthodoxæ fulserit Ecclesiæ quosdam Scripturæ libros acceptanti, repudianti alios. Etsi hæc errare potuit (ut contendunt facto ipso in nonnullis aberrasse) quis privatus majorem sibi ab hac luce securitatem promittat? Quid, quod ipsi, qui hanc sibi lucem vendicant, inter se, de Jacobi epistola, aliisque Scripturis, pugnent sententiis? quantum ergo huic lumini fidendum nemo non intelliget. Alii igitur hoc quoque deturbari præsidio, aut ad traditionem redeunt, aut hanc simul cum divina hac luce conjungunt. Et Judæis, inquiunt, Christiani credimus, suam nobis scripturam transcribentibus; quid ni igitur Romanis Evangelici fidamus? Sed falluntur, non Judæis, sed Christo, Apostolis, primæque Ecclesiæ hoc pignus transmissum credimus. Quanquam Judæi, ante Christianæ Ecclesiæ originem, caussam etiam, Scripturam Veter. Testament. corrumpendi nullam habuerint; utpote fideles ejusdem custodes. Sed si posteriora consulamus tempora. Estne qui deinde post, seclusam ab Ecclesia Dei synagogam, Talmudicos Judæorum libros, pro Sacris literis ab iisdem traditos, veneretur? Quocirca argumentum retorqueo, & ut Judæis ab orthodoxa seclusis Ecclesia, nemo Sacræ Scripturæ au[illegible]ritatem inviolatam credit, ita neque Romanæ eadem Ecclesiæ fidenda esset, si tot seculorum periodis ante Lutherum à vera fide ad perfidiam defecisset. Quis enim existimet, hanc illa præsidia, unde ab hostibus deinde suis expugnari facilè posset, ultro adversariis

intacta relicturam fuisse? Quare nisi majora suæ certitudinis testimonia possident, quàm quæ ultrò ab hæreticis deferuntur, omni securitate exciderunt. Neque sanè ullum argumentum Novatoribus suppetit, quo falli non possint, adeóque in conscientia tutò possint acquiescere.

II. Faciamus tamen S. Scripturam ad manus illorum integram intactamque pervenisse, ex quo demum capite infallibili pars quævis Novatorum probare poterit, sese esse solam, quæ verum S. Scripturæ intellectum assequatur, & oppositas sibi partes aberrare universas? Impossibile est, ut adferat rationem aliquam veritatis à se cognitæ, quam oppositæ partium, cui errorem imputat, pro se nequeat adducere. Si ad clarissima sese S. Scripturæ testimonia provocare, ad internam fidem, aut Spiritus S. præsidia confugere, asserat: idem alii Novatorum, idem ipsi etiam Catholici sese facere affirmabant. Atqui nullo alio utitur suæ certitudinis ac veritatis argumento, quàm illo, quod adversarius ad suum quoque defendendum errorem adhibet, is, vi illius, de obtenta veritate certus esse non poterit. Hic omnes Novatorum conatus hærent. In quamcunque enim partem seu defendendo, seu arguendo se verterint, idem in auctores telum recidit. Scripturæ claritas, internæ fidei aut Spiritus S. testimonia, pro se adducta; contra obtenebratus adversariorum intellectus, perversa voluntas, & quidquid ejuscemodi est delictorum in hostes intortum, pari via reducitur, ac retorquetur. Facilior ex labyrintho sit exitus, quàm ex hac probandi reprobandique licentia. Res denique eò universa Novatorum recidit; ut suæ quisque sententiæ ex Scripturis ductæ autor relinquatur; rationem verò assentiendi cum hæreticis communem habeat. Quære ex Lutherano, quare sentiat in Eucharistia panem simul Christumque, secundùm substantiam, præsentem esse? Respondebit, quia clara ita Scriptura Dei asserit. Quære ex Calvinista, cur hanc neget in pane præsentiam, idem planè responsum auditurus es. Quare aut utrique, aut nulli credas necesse est; cùm tantundem uterque argumenti adferat. Si porrò urgeas; unde certus esse possit, hunc claræ Scripturæ sensum esse, cùm plurimi gravissimique Doctores sensum ex eadem diversum eruant? Confugiet, aut ad clarissimam Scripturæ veritatem, quæ sibi tanquam

quam electo, præ ceteris, ad tantam lucem cæcis, affulgeat: aut etiam ad Spiritum Sanctum in conscientia sibi reddente veritatis testimonium. Si instes, unde hunc probet spiritum; cum adversarii eundem in oposito sibi sensu vendicent? rursum terga vertet, atque ad S. Scripturam recurret; quia videlicet, cum hâc, spiritus iste, seu fidei dictamen, conveniat. Si urgeas: unde evincat, hunc suum spiritum cum S. literis convenire, cum id negent alii? Id sibi clarum esse asseret ex ipsis literis. Sic plerique loquuntur Novatorum, demptis Anabaptistis, qui cùm verbum Dei internum non scriptum admittant, in Spiritus sancti dictamine motuque ultimò acquiescunt. Illi igitur (ut horum Euthusiastarum insaniam dissimulem) miserâ vertigine ad eandem, à qua, ob ambiguitatem, abierant, scripturam revertuntur, eisdemque, quibus ante petebantur, telis manent obnoxii. Soli Catholoci extra omnem ictum subsistunt, quia verbo Dei non tantùm in S. Bibliis, sed etiam per scripta Patrum & Ecclesiæ traditionem exhibito assentiuntur.

Hoc enim est, quod illud ad plura significanda ambiguum, certâ sententiæ interpretatione ac definitione, aut adstringit, aut absolvit. Quod quicunque ab Ecclesia detrectant acceptare, aut certum in controversis hodie locis scripturæ sensum haurire nequeunt, aut proprii alienive capitis commentis supplere coguntur; adeóque, velint nolint, verba hominum, suumque judicium, pro verbo Dei amplexantur. Ut Novatorum Confessiones cum S. Scriptura collatæ manifestâ experientiâ testantur.

III. Ut credulum vulgus, de veritate ex S. Scripturis hausta, facilius Novatorum Prædicantes teneant, insignem ad occultandas fraudes artem commenti sunt. Cum videlicet ad originarias linguas in S. Scripturæ expositione provocant: ita enim pauci summam hanc exponendæ Scripturæ dictaturam, velut supremi júdices tutius occupant, & sua rem omnem sententia conficiunt: judicant omnia, & à nemine judicantur. Quos sic ego compello

Vel volunt, ut suæ omnes interpretationi, tanquam infallibili re[gulæ], & diserto Dei verbo assentiantur; vel concedunt in sua se etiam expositione falli posse. Si primum asserunt:

 ergo

ergo agnoſcunt interpretes S. Scripturæ dari poſſe, qui infallibiles ſint, & nullo errandi periculo, aut ipſi expoſiti, aut alios expoſituri; adeòque qui Lutheros, Calvinos, Bezas alioſque homines fuiſſe, ac labi potuiſſe affirmant, ſeſe longè ſupra eoſdem, extra erroris orbitas, in eodem, cum Spiritu S. infallibilitatis throno collocant: digni profectò quos in tanta auctoritate pluſquam homines veneremur. Si poſterius tolerant, atque homines ſeſe etiamnum agnoſcunt; non modò credentium multitudinem in ſalutis negotio circumveniunt, quam ſibi volunt fidere, quòd originarios hoſce textus bona fide ſenſuque promant, atque exponant: verum ſeipſos quoque fallunt, qui ſibi firmiſſimè perſuaſum habent, ipſa ſeſe verba Dei, eorumque ſenſum, veritate ac fide certa mentis complexos eſſe: dum ſimul concedunt falli ſe potuiſſe, ideòque duo contraria, in eodem fidei articulo è Scriptura hauſto, judicia formant, *falli poſſum*; & *falli non poſſum*: illud ut homo, hoc ut nixus verbo Dei. Et multos horum non tantùm potuiſſe falli, ſed & re ipſa falſos eſſe, quando ſuam conformem eſſe Scripturæ ſententiam dictitabant, multorum exemplo & reſipiſcentium confeſſione eſt cognitum. Qui oſtenderunt ſua ſe phantaſmata pro verbo Dei amplexos fuiſſe.

Et quiſquam ſit, qui ſpretis hiſce aliiſque Doctoribus omnibus, tanquam errori obnoxiis, veritatem ſeſe infallibili certitudine, cum originario Scripturæ ſenſu, aſſecutum polliceri auſit? Certè quam aliis, tot tantiſque, non concedit infallibilitatem, non eſt cur ſibi tribuendam ab aliis poſtulet. Cum nemo ſit, quin videat, nihilo ſe magis tali fidere poſſe interpreti, quam ſuis iſte ante ſe fidat Religionis ducibus, atque anteſignanis.

IV. Demus verò homines reperiri, qui in dijudicando Scripturæ ſenſu aberrare nequeant. Unde conſtabit illos, ad quos Novatores provocant, fontes impermixtos fluere? Plus enim de integritate verſionis ſuæ non habent originario textu certitudinis, quàm receptæ in Romana Eccleſia verſiones poſſident. Nam 1. pauci ex Novatoribus tantam Hebraicarum ſcientiam ſunt aſſecuti, quantam aut D. Hieronymus, aut ſeptuaginta delecti interpretes, aut qui vulgatam noſtram Latinam tradidit, neque etiam tam incorruptis ex fontibus

bus hauriunt. Unde si quid ab his diversum exponunt, quâ obsecro securitate defendent? Quâ fronte, sicubi dissideant, eorum sese constituent judices, quas rerum cognitione, Deique, quo ad hoc opus delecti sunt spiritu, nullo æquo judice superare videbuntur? 2. Originarii fontes de sua incorruptione minus habent certitudinis, quam antiqua Latina versio; quod hujus major in Ecclesia semper cura fuerit ac ratio, ejusdemque usus inter Ecclesiæ Doctores frequentior, verba sententiæque præcipuæ hodiedum in controversiam abstractæ, eo, quo illa fert, sensu, per veterum Patrum scripta, sparsæ legantur. Cetera in Judæorum ac Græcorum relicta manibus plerisque exemplaribus, corruptionem passa sint; ut securam reddere de veritate literæ vix possint legentis conscientiam. 3. Christus ipse atque Apostoli in citandis Scripturis V. T. originarium aliquando textum corruptionis non obscurè damnarunt, quando aliis eum verbis sententiisque emendarunt.

Ita Cainan inter Christi proavos Luc. 3. 36. ponitur, ab Hebræis neglectus; ita & Act. 7. 14. septuaginta quinque animas traduxisse Jacob ad Ægyptum secum fertur; cum Hebraica scriptura Gen. 46. 27. tantum meminerit 70. Sic Paulus Act. 13. 36. Christum probat non vidisse corruptionem, ex Ps. 15. ubi originarius textus habet sepulcrum.

Similia Hebr. 9. v. 16. & 17. ad Gal. 3. v. 15. cum suis fontibus collata invenies. In his verò aliisque si quod vitium, ipsis potius Græcis Hebræisque exemplaribus erit imputandum. Certè & Beza, ex vulgata nostra correxit Luc. 2. 14. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, vertitque, *hominibus bonæ voluntatis.* Et Luc. 4. 2. ubi Græca videntur asserere, diebus 40. à diabolo tentatum, ipse ex Latina nostra, tot diebus in deserto fuisse statuit.

Porrò vulgata hæc cum correctissimis Græcorum exemplaribus, quale etiamnum in Vaticano antiquissimum, alterumque in Regia Hispanorum Bibliotheca ad S. Laurentium asservatur, egregiè congruit.

Cumque temporum lapsu, descriptione & recusione multorum, quosdam per incuriam traxisset errores, Pius IV. & V. deinde & Sixtus V. ac postremo Clemens 8. sedulò adlaborarunt, ut per doctissimos Ecclesiæ viros ex manuscriptis codicibus

 anti-

antiquissimis, adhibitis quoque Hebraicis Græcisque (quæ in fideli Ecclesiæ custodia manserant) bibliis tum Patrum antiquorum lectionibus, omnia ad pristinam integritatem reducerentur; ut à Tridentina Synodo præscriptum fuit. Qua in re cum & academiæ plures & lectissimi Ecclesiæ viri plurium annorum decursu laboraverint, cumque probatissimorum ex tota antiquitate librorum copia sit adhibita; quid obsecro par habent, vel studio, vel certitudine, vel autoritate, quod in suis editionibus huic vulgatæ adversarii opponant?

Accedit Hebraici textus varia prorsus lectio, quæq; ex punctorum subjectorum, alio atq; alio arbitratu, variari, inque diversos sensus potest detorqueri. Cum ab ipsa origine hæc puncta ignorentur.

Quare non superest ulla ratio, quæ provocantibus ad textum originarium securitatem præstet. Sive enim ex parte subjecti hominem spectes, errori manet obnoxius; sive ex parte objecti propriis scripturam in fontibus, talis est quæ corruptionis periculo, tot seculorum periodis, exposita fuit; ut hanc corruptam non esse, demonstrari nequeat: quin etiam integritatis vitium passam fuisse, satis ostendatur.

V. Concedamus tamen originarios textus esse tales, quales omnino volunt, claros, certoque sensu determinatos atque incorruptos; nondum satis consultum erit securitati credentium. Patet enim experientiâ, qualiscunque demum sit scriptura originaria, Doctores atque interpretes ejusdem non satis in unam conspirare sententiam, plenis à se invicem nationum scindi dissidiis, pacem unitatemque Ecclesiæ universalis dissipare. Ad quos, obsecro, vulgus credentium, ut ne veritate ac toto aberrent cœlo, destinabimus? Novatores censent quoslibet ex his interpretum ducibus homines esse offendiculo expositos, qui & errare possint, & exemplo frequenti impegerint. Ad hos tamen ejusmodi erraticos duces plebs credentium ablegatur, ut ab iis veritatem hauriat. Misera prorsus atque in salutis negotio plena discriminis conditio, alios omnino quam errori expositos ductores habere non posse. Ipsos adire fontes, per tot linguarum, ex quibus scaturiunt, ignorantiam nequeunt; ver-

siones

ſiones lubricorum hominum, ex judicio labili ſuſpenſas audire coguntur. Et quâ obſecro, vel ducentium, vel ſequentium conſcientia? Hoc enim dilemmate tales arguo. Illæ Doctorum in Eccleſia verſiones, ſeu vivâ pro concione, voce, ſeu ſcriptis voluminibus traduntur, aut infallibiles ſunt; & hoc pacto omnis illa ad originarium textum ceſſat provocatio; aut fallere poterunt, & ſic niti tutò prudenterque nequis. Quo te converſurus denique hiſce in anguſtiis es? An dices verſiones aliquas ad originarium textum plurium judicio probatas non fallere, ideóque ſubditos Eccleſiæ ſecura illis poſſe conſcientia acquieſcere? Ita ſanè infallibile in Eccleſia Doctorum judicium admiſſurus es. Quo ſemel tolerato, jacet omnis illa ab Eccleſia & Doctoribus ad ſcripturam provocandi ratio. An contra dices, poſſe has verſiones fallere? Et ſic vulgo Novatorum, ad ipſos nunquam fontes ſuo ingenio penetrantium, fallax lubricumque fidei ac ſalutis fundamentum relinquis, planéque ab eis abſurda poſtulas, quando ſuorum jubes Prædicantium voces ad infallibilem S. Scripturæ regulam explorare, quam ipſi neſciunt. Quod ſi igitur prudenter illi conformare judicium ſuum Eccleſiæ Doctoribus poſſunt, cur id ceteris facere non liceat? Aut ſi hoc ſatis ad fidem non eſt, quomodo rudis plebs ſalvabitur?

Porrò verſiones plurium ex S. fontibus depromptas reipſâ etiam fallere mutua, atque ex ipſis nata textibus originariis, pugna ſatis arguit; cum non tantùm Calviniani à Lutheranis diffideant; ſed ſuis pars quæque (nonnunquam & idem auctor) derogarit verſionibus. Neque enim Lutherani primâ Lutheri translatione prorſus acquieſcunt; nec Calviniani Bezæ, qui ipſe ſuam quinies verſionem, aliam ab alia diffidentem, procudit. Deinde, quod nec ipſæ, quotquot adducuntur Novatorum verſiones, in omni ſignificandi, aut amplitudine, aut reſtrictione cum ſuis fontibus conveniant, & ſatis ipſa convincit experientia, & ſua adverſarii ad originarios textus provocatione teſtatum faciunt. Pleriſque igitur ſuorum, tam ad ſalutem, quàm fidei certitudinem præcluſum aditum relinquunt, erroneo omnes fundamento, velint nolint, inhærere coguntur.

Denique

Denique de integris etiam libris scripturarum, quæ substantiales quosdam fidei articulos complectuntur, inter adversarios ambigitur. Jacobi Epistolæ operum justitiam complexæ, à Lutheranis; Ecclesiasticus etiam à Calvinistis, Machabæi sacrificia pro mortuis probantes, ab utrisque repudiantur. Et quæ speranda fidei integritas, ubi de multis nondum scripturis, deque verbo Dei integro satis definitum est?

VI. Ut immota veritatis professio est, ita falsitas ubique fluctuat. Quare Novatores pedem nullibi firmant, in omnem sese agunt, & aguntur partem. Tria sunt principia, ad quæ in ambiguis scripturæ sententiis lubrica inconstantia convertuntur. Nunc in Ecclesia & synodis, nunc in scripturis, nunc in spiritus interni testimonio ultimò acquiescunt.

Si quem suis in cœtibus reperiant, qui juxta suorum leges Ecclesiæ sententiam ad examen Scripturarum vocet, eam ex his errare contestetur, suâque fretus cum scripturis conscientiâ, autoritatem atque imperia ipsius aspernetur; hunc ad suam ablegant Doctorum synagogam, obsequi nolentem cogunt, vimque inferunt conscientiæ, ac si etiamnum restiter, publico anathematis fulmine percussum execrantur. Hic nimirum Ecclesiæ standum judicio. Quod si possit dictante conscientiâ alter negligere, iniquissimam ferunt damnationis sententiam, sibique non toleranda vanitate contradicunt; cum unâ voce probent, quod alterâ rejiciunt. Nam si ipsi (ut ponitur) errare possint, & alter qui damnatur recta possit sentire, nullo jure licet pronuntiare sententiam.

Deinde sua hac statione prorsus deturbantur, quando hoc illorum exemplo, jure Lutherum, Calvinum, aliosque ab Ecclesia ex S. Scriptura damnatos inferimus: ut qui universæ sese Ecclesiæ objecerint, ejus sententiam audaci censura, & ipsi ex scripturis damnaverint, justiore ex iisdem ab Ecclesia damnati. Quod tamen exemplum si quibusdam displiceat, utantur illo, quo Zvvinglius ex scriptura Lutheranam Ecclesiam ad ejusdem judicium provocantem, damnans, jure meliori est condemnatus. Illud sanè adversarios argumentum retroagit, ac contra ipsius rationis & propria principia, fœdissima aberratione, cogit statuere; in hoc casu, quo Ecclesia ex S. Scripturis unum errare hominem judicat, contraque

que homo unus ex iisdem Eccleſiam, omni utrimque ad veritatem explorandum adhibitâ diligentiâ (ut in Luthero, & Eccleſia Tridenti congregata quondam factum) poſſe ac debere in conſcientia ejuſmodi hominem damnare, ac deſerere Eccleſiam. Hoc etenim coguntur, ut dixi, aſſerere, ne primos ſuæ Religionis autores manifeſtiſſimæ defectionis reos faciant, ſeque eorum aſſeclas pari damnationis ſententiâ perſtringant. O deſperatiſſimam cauſam ejuſmodi fundamento innixam!

Jam enimvero eò deventum eſt, ut ſi vel quiſpiam è taberna ſutor ſcripturâ armatus inſurgat, condemnetque erroris Eccleſiam: ſanctiſſimi Veteris Eccleſiæ Patres, graviſſima Epiſcoporum Concilia, univerſus Chriſtianus orbis, quantumvis hunc ex ſcriptura refutet hominem, cedere, ac concedere unius ſententiæ cogatur, quòd poſſit talis veritatem tueri.

Verùm nullum defendi propugnaculum diu ex ſola ſcriptura poteſt; quando, ut plerumque fit, aliæ ſcripturæ opponuntur, ejuſdemque, quem arripit, ſenſus ex ſcriptura ducti incertitudo (quæ ſemper eminet) demonſtratur. Tum rurſus à ſcriptura ambigua deflectens, ut ſuum præ reliquis ſenſum probet, ad internum Spiritus S. in conſcientia loquentis teſtimonium aliaque criteria vertitur, ratus hoc præſidium ejuſmodi eſſe, quod, cum nemo alius poſſit intueri, coargui convincique erroris nequeat.

Quòd ſi deinde Eccleſiæ Doctores, quibus præ reliquis Spiritus intelligentiæ promiſſus ſit, quòd ſi mille antagoniſtas alios, qui non minus rectum ſibi ſpiritum, quam unus ipſe vendicet, opponas, contendaſque, veriſimilius, illic divinæ ſpiritum ſapientiæ mentem ſenſuſque moderari, ubi tanta ſententiarum conſenſio, quam ubi recens quædam in orbem emergens opinio repugnet univerſis.

Si ad hæc Lutherum (ponamus cum illo rem hanc peragi) urgeas, plures olim hæreticos, tam egregios poſſeſſæ abs ſe veritatis ſponſores, ſuâ credulitate deceptos, nec injuriâ damnatos eſſe, quin etiam nonnullos demutaſſe poſtea ſententiam, priſtiniſque abiiſſe fidei placitis, atque ad nova religionis conſilia deflexiſſe. Planè quo ſe vertant, ſuumque in reliquis probent ſpiritum, nihil ſupereſt. Quare ad Scripturam S. princi-

principiumque illud, unde tota hæc extitit controvertendi ratio, ſe rurſum conferunt, & ſuum cum illa Spiritum convenire affirmant, nihil dictare, niſi quod in illa claré emineat: adeo ad eandem rerum incertitudinem regulamque illam, quam ex tot capitibus fallere poſſe docui, revertuntur, ac rem incertam per incertam, in vano ac vertiginoſo labore, ſtabilire conantur. Quid hoc eſt, mi Chriſtiane, aliud, quàm cum impiis in circuitu ambulare?

VII. Rem inauditam, incredibilem, ac nullis ſcripturis S. probatam comminiſcuntur, ut Luthero, Calvino, aut alteri, adverſus univerſalem Eccleſiæ ſenſum S. Scripturam interpretanti patrocinentur.

Sex propemodum ſeculis latuiſſe aſſerunt illam Eccleſiam, cui *dedit Deus uſque ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii Paſtores atque Doctores in ædificationem corporis Chriſti, ne circumferretur omni vento doctrinæ, &c.* Eph. 4. 13. cui promiſit *Spiritum veritatis in æternum* Johan. 14. 16. Hæc nempe Eccleſia, ita juxta adverſarios intercidit per hæreſin, ut nemo Paſtorum in Eccleſiis, nemo Doctorum in ſcholis auditus, tanto intervallo temporum fuerit, qui integram atque ab omni expurgatam hæreſi doctrinam tradiderit. Itane verò? omnes ſynceri Doctores, inſtante, atque ad mundi finem perſtatura, contra inferni etiam portas, Eccleſiâ obmutuerunt; ſoli tantum ſeductores auditi ſunt? Quomodo corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, *ædificari* potuit, ſi nullus operarius manum adhibuit? Quomodo caveri *ne circumferretur* hæc navis *omni vento doctrinæ*, ſi nullus in ea navarchus clavum tenuit? Quomodo *ſpiritus* in ea vivere *veritatis*, ſi nullum hujus vitale argumentum? An hoc eſt ad *conſummationem Sanctorum*, & in æternum perſiſtere, tam ſubitò, nullo relicto vitæ indicio, emori? Quomodo *fides* quæ *ex auditu* eſt (Rom. 10.) *ſine prædicante* manſit? Quomodo obſequi Chriſto poterant, & in controverſis *dicere Eccleſiæ*, (Matth. 18.) ſi Eccleſia, quæ erat incorrupta, diſtingui ab alia certo indicio non poterat? Quis, ſi hæreſis uſque adeò invaluit, contra *inferni portas* hanc *prævaluiſſe* Eccleſiam dicat? Planè homo non eſt, in quo ſcintilla rationis maturæ emicet, qui hæc ſibi adverſus clariſſima S. Scripturæ pronuntiata perſuaderi ſinat, ut Lutheri cujuſpiam novitatem, poſt tot ſecula in orbem introductam tueatur, &

Eccle-

Ecclesiæ totius erutam ex S. literis disciplinam, per tot propagatam infractamque sæcula, hominis unius arroganti judicio labefactare conetur. Quamdiu scripturam Novatores audiunt, hoc audiant necesse est. *Ministerium Pastorum & Doctorum viguisse semper in Ecclesia, ne circumferretur omni vento doctrinæ.* A quibus cum Lutherus deflexit, à scriptura simul ac vera ejus interpretatione discessit. Imò scripturam omnibus suspectam reddit erroris, quam in custodia depravatæ Ecclesiæ, Doctorumque perversorum tanto tempore reliquit.

VIII. Quocunque se vertant Ecclesiæ Novatorum, suorum prorsus nequeunt probare Prædicantium autoritatem, munusque docendi à Deo creditum? Nam *quomodo prædicabunt, nisi mittantur*? Rom. 10.15. Lutherus verò & ceteri Novatorum agnoscunt, ad hoc munus ritè administrandum, vocationem esse necessariam. Et ille quidem ad 1. cap. Galat. super hanc Pauli Epist. immediatam à Deo vocationem (ut Prophetæ olim & Apostoli delecti sunt) non agnoscit; verùm mediatam, qualis ab Apostolis & consecutis in Ecclesia Episcopis deinde facta est, ita Christo ordinante. Quare Muncerum ad Dei immediatam vocationem confugientem ib. urget, ut miraculis, quemadmodum olim Apostoli se à Deo ad novum hoc opus delectum probet, sibi verò satis esse asserit, ab hominibus ad hoc munus vocatum accessisse. At si ex illis postuletur hominibus; qui, & unde, quaque autoritate hanc potestatem fecerint? res tota Luthero hærebit. Neque enim, ut nonnulli volunt, per Doctoris renuntiationem hæc illi facultas delata; cum & laici hunc conferre possint, & hoc titulo tantum universitatibus instruendis aptus quispiam declaretur? Neque ullam in Ecclesia populum docendi potestatem olim acceperit, neque illam, quam Christus Ecclesiæ Pastoribus dedit Joh. 20.23. peccata remittendi, Quam facultatem cùm & ipsi Adversarii in suis Pastoribus non agnoscant, legitimos sibi Pastores deesse fatentur. Porrò nec Lutherus (ut alii volunt) presbyterio per Episcopos Romanos inauguratus ad hoc munus fuit, si verè ipse Tract. de instit. Minist. Tom. 2. lat. Wit. fol. 393. docet: *per ordines illos sacros neminem fieri coram Deo, aut sacerdotem, aut ministrum, sed meram larvam quandam mendacii & vanitatis.* Nihil itaque etiam Adversariorum concessione, vel presbyterium, vel Doctoratus Luthero ad hoc officium usurpatum contulit. Accedit

cedit, quod diversa atque etiam contraria eidem muneri, ausus fuerit; omnia ad ejusmodi potestatem Ecclesia Romana eliminandam molitus sit, nihil autem ad sui destructionem solet tendere, & potestas conferri, ut ea ipsa in autoribus evertatur. Imò verò negavit legitimam Ecclesiastici ordinis apud Romanos potestatem esse; quo igitur hanc pacto sibi à non habentibus collatam esse asserit?

Aut si concedit habuisse; cur eos non agnoscunt legitimos quos etiamnum Romani mittimus? An fortè ante Lutherum hæretici nondum fuimus, qui nunc tales Novantibus habemur, quòd modò repudient, quos olim à nobis admiserunt?

Quare cum hac via Lutheri mediata vocatio probari nequeat, alii immediatam ipsi vocationem tribuunt, rati hoc Dei consilium, utpote occultum, facilius adstrui, quam confutari posse. Verùm, cui hoc factum potius, quàm ipsi Luthero credamus, qui ut antè vidimus, reclamat? Miracula etiam à Muncero divinam hanc missionem venditanti exigit. Ostendant igitur Lutherani hujus sui patroni miracula. Fractæ hic chordæ sunt, dissonant, alii enim pro miraculo habent tantam fidei brevi tempore propagationem. Sed ejusmodi miracula Arrii etiam fuere, latius planè suam perfidiam spargenti. Romana verò Ecclesia toto orbe divisa, longè maximum futura est miraculum. Videamus qui in utramque Indiam, Chinam, Japonem Americam fidem primò transtulerint, & an hic aliis etiam supra vim humanam miraculis ejus Doctores non præluxerint? Alii Apostolorum miraculis suam firmatam esse doctrinam putant, diversamque ab his miraculorum in Luthero Calvinoque necessitatem non agnoscunt; quod novam non tradiderit religionem; sed veteris instituta revocarit. Verùm cùm hoc principium ab oppositis partibus, contra oppositam, ut falsum repudietur, nihil ex illo probabitur. Hoc enim quivis hæreticorum pro se adducit; ut proinde ex re in disceptatione posita, nihil certi concludi possit. Nobis exploratissimum est, ex tota retro antiquitate neminem unum Doctorem produci posse, qui cum Luthero aut Calvino paria ex S. literis tradiderit. Ideoque novæ hisce seculis doctrinæ probandæ miracula requiri. Neque quenquam antè, nisi temerè, illis crediturum.

Illud

Illud certiſſimum quod Chriſtus Joan. 15. 24. affirmat. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius; peccatum non haberent &c.* Quocirca quiſquis Luthero, Calvino, aliive, diverſam ab ea, quam orbis Chriſtianus amplectitur, religionem prædicanti non crediderit, nullius, Chriſto judice, peccati hinc reus habebitur.

IX. Ut Lutherus, Calvinus, eorumque aſſeclæ ſuum, quem hauriunt ex S. Scriptura, ſenſum verum eſſe doceant; tenentur ante demonſtrare, illum quem Romana Eccleſia ex iiſdem S. Scripturis amplexa eſt ſenſum, erroneum haberi. Alias enim hæc Eccleſia in ejuſdem ſententiæ poſſeſſione, quam tot annis inviolatam tenuit, jure perſiſtet, neque quicquam à veritate alienum obtinere cenſebitur. Hoc planè omnis ratio atque æquitas requirit; ut ne poſſeſſor ſuâ ſede deturbetur, priuſquam adverſarius diſertè, iniquè hanc titulo obtineri, evicerit. Nec ſanè requiritur, ut hæres poſſeſſæ abs ſe rei originem ac jura exhibeat: juris ſatis eſt, non convictum eſſe de injuria.

Ex quo capite Eccleſia Romana nullam ſuæ interpretationis, doctrinæque ex ſcripturis erutæ, rationem adferre tenetur. Adverſariorum hoc onus eſt, ut Dei hanc verbo contrariam eſſe demonſtrent. Quod quamdiu non vicerint, ruunt univerſa. Hoc autem, ut præſtent, omninò eſt impoſſibile. Primò quidem, quia conſtat, non tantùm ex totius Eccleſiæ conſenſione, ſed ipſo etiam ſcripto Dei verbo, in Eccleſia relicto, traditiones in ea Apoſtolicas reperiri.

Ante omnia igitur illis demonſtrandum eſt, hanc Eccleſiæ conſenſionem, tot Patrum ſtabilitatam ſententiis, tot ſeculis firmatam, falſam eſſe; at hoc S. literæ nuſquam docent. Deinde evincendum quoque ipſam S. Scripturam clariſſimis verbis fallere, quando 2. Theſſal 2. & alibi traditiones à ſcripto Dei verbo diverſas in Eccleſia docet exiſtere. Non ſatis igitur erit demonſtraſſe: nihil in S. Scripturis de hac illave doctrina Romanorum reperiri, niſi prius ex illis evicerint, Eccleſiæ univerſæ autoritatem fallibilem non tantum, ſed & falſam eſſe, tum illas quas exhibet, traditio-

nes Apostolicas verbi Dei, legitimè propagatas non esse. Quòd frustra prorsus conabitur.

Deinde, ipsimet sibi hanc probandi ex sola scriptura legem, ad nostram doctrinam evertendam, suamque ex eadem claré producendam, fixerunt. Aut igitur soli Dei verbo scripto inhærendum, aut nisi id fecerint, suis sese legibus condemnant.

Denique cùm in omni controversia adversarii ad probandum adhibeant sententias scripturarum ambiguas, ac plurium capaces sensuum; Ecclesia verò Romana in certi sensus possessione deprehendatur, rejectis damnatisque oppositis ceteris, demonstrandum ante omnia erit, hunc nequaquam habuisse sensum à veteri primorum sæculorum Ecclesia, per Apostolos non tantùm scriptis, sed vivâ etiam voce instructâ, (quis enim hos mutos tantùm scriptores fecerit, quibus non est dictum, *ite* scribite, sed *prædicate Evangelium*?) hoc verò cùm ex nulla possint scriptura, cadunt causâ, atque incassum obluctantur.

X. Manifestè erroneum est illud judicium convenientiæ, quo existimant interpretationem, sive consequentias, & ex his conflatos articulos suæ fidei, in punctis hoc tempore controversis, S. Scripturæ conformes esse, sive cum illa convenire in eodem sensu sententiaque. Nam appello ad Confessiones Novatorum, & verbum Dei scriptum. Quo pacto demonstrabunt, obsecro, iisdem utraque verbis sententiisque loqui? Ex tot ego tamque variis articulis ad substantiam fidei spectantibus, vel unum unicum postulo, qui verbis totidem, qui eodem ordine, antecedentibus ac consequentibus iisdem, nullâ trajectione verborum, nullâ subtractione, adjectione, aut permutatione nulla exhibeatur. Hoc si nequeant, inanissimum illud de convenientia judicium est; cùm singula horum ad sensum evertendum sufficere, inter grammaticos etiam pueros, compertum sit. At citius cœlum ruet, quàm ut unum è gravioribus fidei articulis Catholicis oppositum, cum adjunctis limitationibus, per nuda, incorrupta, & non malè consarcinatæ scripturæ verba in suis Confessionibus ostendant. Et siquidem aliquid ex

scriptura

ſcriptura depromptum offerant, ambigua, neque ſuis verbis definita, hærebit ſententia. Cùm tamen norma in tali convenientiæ judicio, & rectiſſima, atque indubitata eſſe debeat, omnibuſque partibus expreſſa. Chriſtophorus Scheiblerus Tremonienſis Prædicans Lutheranus, in probat. fidei contra Method. cap. 16. & Joan. Hundius Calviniſta, in Toga veritatis contra Meth cap. 2. ad Dominorum de Walenburg, hac in re, provocationem, illum de communione ſub utraque ſpecie omnibus præcepta articulum, ex D. Paulo 1. Cor. 11. producunt. Scheiblerus item, pro juſtificatione ſolius fidei, locum ex Rom. 3. 4. 11. & Gal. 2. 3. Pro conjugio ſacerdotum 1. Cor. 9. 5. & 1. Tim. 3. 24. adfert. Alia per neceſſarias ex S. Scriptura conſequentias duci aſſerunt. Ut Hundius ex Chriſti ad latronem dicto: *Hodie mecum eris in paradiſo*, neceſſariò ſequi, Chriſtum non fuiſſe in inferno. Et ex illo Pauli: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* infert: panem tantùm eſſe in Euchariſtia, Lutherani tamen nobiſcum nullam hujus ſequelæ neceſſitatem agnoſcunt. Sed his locis, & in vernaculo libello noſtro Religions-Streit contra Crocium ſatisfactum eſt, & ex nuda S. Scripturarum collatione, quam in *Confeſſione* facimus, abundè per diſerta ſcripturæ verba occurritur.

Univerſim nullibi ab Adverſariis tota ſcriptura ad has controverſias faciens recitatur, ſed mutila ſunt omnia. Similes hac in re Arianis, qui ex illo Chriſti *Pater major me eſt*, diſſimulatis, aut everſis ſcripturis reliquis, hanc limitantibus, aſſerebant, Patrem in divinis, Filio majorem. Quâ tamen, ut videtur, ſcriptura, nihil diſertius clariuſque dari poterat, ut hi non immeritò, hâc tantùm ſpectatâ, contenderent, ſuam ſententiam cum S. Scriptura ad unguem congruere. Sed vanâ tantùm jactantiâ: ſiquidem ex aliis ſcripturis deducta Patrum ſententia, plus eorum auctoritate valuit.

XI. Cùm aſſerunt multa implicitè in ſcriptura contineri, quæ per neceſſariam inde deducta conſequentiam explicitè in Confeſſionibus ſuæ fidei proponantur, iterum fallunt. Qua in re, ſuppono, neceſſariam hanc eſſe conſequentiam, quæ nullo caſu mutari, aut aliter habere iiſdem principiis ſtantibus, poterit.

poterit. *Necessarium enim est*, ait Aristot. l. 5. Met. c. 5.) *quod aliter se habere non potest.* Ita per necessariam consequentiam Manichæus ille, qui apud Augustinum muscas à diabolo factas admittebat, convinci ex S. Scriptura potuit, Deum creasse muscas. Qui *creavit omnem animam viventem & omne volatile secundùm genus suum, creavit & muscas*; Sed *Deus* illa *creavit*. Gen. 1. 21. Ergò & muscas. Hæc enim illatio aliter se habere non potest, neque diversus, aut oppositus ex iisdem propositionibus sensus inferri. At verò qui neganti Ario: Filium esse unius cum Patre substantiæ: probare hoc ipsum ex Scriptura per necessariam consequentiam voluerit, frustra erit, etiamsi hunc elenchum intorqueat. Qui est unum cum Patre, est ejusdem cum Patre substantiæ, sed *Filius est unum cum Patre* Joan. 10. 20. Ergò &c. Nam Arianus & majorem propositionem negabit, & consequentiam. Quia *unum esse*, de consensu & amore non minus, quàm de substantia intelligi poterit, cùm Joan. 17. Christus roget, pro discipulis, *ut unum sint sicut & nos unum sumus*: quod de consensione, non substantia accipiendum est. At nullus omninò articulus Novatorum est, per consequentias propositus, in quo similes distinctiones exceptionesque non occurrant.

Ita nihil, exempli gratia, tam apud adversarios receptum est, quam omnes traditiones extra scriptum Dei verbum damnandas esse. Hoc verò infallibili sese consequentia probare autumant, ex Apost. Gal. 1. v. 8. *Qui evangelizaverit præter id, quod accepit, anathema sit*; Sed Romana Ecclesia hoc facit, cum Verbum Dei non scriptum obtrudit. Ergò anathema sit. Verùm minor propositio, & consequentia jacent, quando idem Apostolus 2. ad Thessal. 2. 15. loquitur, atque exhortatur, *state & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* ubi tam vivæ vocis, quam scriptæ oracula audienda mandat.

Nullum, ut verbo repetam, articulum Novatorum reperies, qui necessariâ consequentiâ innitatur. Ratio universalis est. Quia nullam ex scriptura propositionem formant, qui plurium sensuum capax non sit, iisdemque, à diversis autoribus, exposita non fuerit: at quod plurium sensuum capax est, non habet tantum unum certum

tùm definitumque in quo necessaria fundetur illatio. Plura enim & unum sibi mutuò adversantur.

Quid? quod Adversarii, in suis syllogismis, alteram propositionem ex sola ratione contra nos producant, ideoque consequentiæ non tantum scripto Dei verbo; sed & humano innitantur. Quod cùm respuunt, suas ipsi consequentias, debiliorem semper partem imitantes, damnent: sequela enim, quæ revelatum cum non revelato connectit, purum fidei divinæ objectum non habet.

Quare si justa Adversariorum causa est, si infallibili nituntur scriptura, omnes planè, quos nobis opponunt articulos, tenentur vel expressis scripturæ verbis, vel necessariâ illatione ex utraque propositione per S. Scripturæ verbum formata stabilire. Nam si vel in uno defecerint, à fundamento veritatis, ac vera religione exciderunt.

Quod si tamen sibi permitti velint conclusiones ex altera tantùm propositione S. Scripturæ ductas: adeoque verbum hominum cum verbo Dei pro objecto fidei amplectatur: jam æquum erit, ut Ecclesiæ Catholicæ conclusiones, fideique articulos, alterâ minimum propositione scripturæ subnixos, & tot seculorum consensione probatos, ante novitias suas, ex verbo Dei conclusiones tolerent. Aut si has tanquam hominum illationes repudiant, suomet se judicio condemnant.

XII. Multi Novatorum per ignorantiam sacræ Scripturæ vim sententiamque expendere satis nequeunt, imò plures reperiuntur legendi omninò imperiti, quibus non sufficiet Pastorum suorum Doctorumq; voces audiisse, quod homines illi sint erroribus expositi. Quo igitur hi modo securi esse poterunt; quòd in omnibus cum S. Scriptura conveniant, cujus vim non assequuntur? Planè hos necesse est Doctorum Pastorumque interpretationibus consequentiisque ex sacra Scriptura ductis niti: nisi malis affirmare, eos sacrâ Scripturâ fulciri, quàm non intelligunt. Quocirca inexplicabili illos dilemmate constringo. Vel concedunt Prædicantes suos, aut etiam suæ fidei confessiones, in propositione & expositione S. Scripturæ rudibus facta errare posse; vel esse infallibiles; si prius admittant, plebs fidelium de sua religione nequit esse secura, cùm ex illius ore verbum Dei excipiat, qui illud proponendo exponendoque falli possit,

ac fallere, si posterius asserant, jam secum ipsi pugnant, & in Ecclesiæ Doctoribus infallibilitatem agnoscunt. Quod si dicant: non ipsa Prædicantis verba, sed Dei ex S. Scriptura prolata auditori in assensu fidei attendenda esse: rem planè ridiculam exigunt, ut scilicet auditor, Dei & Prædicantis verba inter se norit distinguere, ad quam rem non humano, sed divino ingenio opus est, quod Prædicantium quilibet Dei ubique verba inani ostentatione jactare possit, cum sua venditet; consequentias inconsequentes ducere; atrum pro albo obtrudere, & quo tandem arbitro, scripturam ipse non penetrans, veritatem obtinebit? iis præsertim in controversiis, quæ doctissimos quosque, de scripturæ libris, verbis, sensuque fatigant. En quo denique incertitudinis plebem fidelium ablegant, qui judicium illud convenientiæ ad securam fidei possessionem in omnibus requirunt.

XIII. Multi etiam Doctorum instabiles sunt, & iniquis affectionibus huc illucque transversum rapiuntur, nisi fortè ex Adæ posteritate non sint, in quibus caro *concupiscat adversus spiritum*. Hi igitur quo titulo sibi infallibilitatem in judicio illo convenientiæ polliceri possunt? Nam ut Apostolus loquitur 2. Petr. 3. *sunt quadam difficilia intellectu, qua indocti, & instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem.* Quæ sanè ad fidem referunt, cum instabilium ista depravatio perditionem spectet. An tales Novatorum Prædicantes Doctoresque sunt, qui in numero instabilium ejusmodi censeri nequeant? si queant, quis me illosque certos faciet, reipsâ non esse? Lipsiensis Academia per suum D. Maukisch adversus P. Mulmanni Mysterium Thesi 8. Ex th. 11. his verbis audet Patres erroris arguere. *Patres qui in scriptura dictis explicandis frequentius diversas; imò quandoque planè contrarias, & quia plerique Hebrai idiomatis ignari fuerunt, non raro insulsas proferunt explicationes, pro vera interpretationis norma non agnoscimus.* Quos ergò meliores certioresque substituitis? nunquid vosmetipsos? an vos igitur Hebræi omnes gnati idomatis? an nihil inter vos pugnans, contrariumque, inter quos tot propemodum sententiæ, quot capita? censete, post Lutherum, natas ex una scripturarum interpretatione sectas, mutuis inter se damnationis criminationibus separatas.

Prin-

Principes horum ducesque ex ipsis etiam Hebræis Græcisque fontibus hæc dissensionis sparserunt principia. Ab ignorantibus hosce fontes, rarior sanè extitit seditionum origo. Docti hâc prurigine dissentiendi primùm ferè infecti sunt. Et tamen nemo horum fuit, qui non se arbitro ac definitore suam sententiam cum sacra Scriptura ad amussim concordare senserit, Patres antiquamque Ecclesiam tanquam errori obnoxiam despexerit. Quid tibi de his Doctoribus inter se tam fœdè pugnantibus videtur, quorum se quisque errare pernegat, cum sacra Scriptura convenire jurat? an tu idem de illis feres judicium?

XIV. Nunc morbum tangam incurabilem, quo docti juxta indoctique, solâ fisi scripturâ, suo ingenio expositâ, inficiuntur. Neminem certum ex illis esse posse de recta scripturarum interpretatione planissimè evinco. Ut enim hac de certus quispiam existat, constare illi debet, media rectè interpretationis à se sine defectu adhibita, quæ res communes hominum vires diligentiamque superat. Fieri enim nequit, ut in rebus ex se naturaque sua periculo erroris obnoxiis, quantovis studio utaris, certus fias te facto ipso non aberrare. Qui verò nititur, re nititur immutabili, quale non est quidquid errori exponitur. Euge intueamur illa, quæ à Novatoribus præscribuntur, rectæ interpretationis media, quæ supra vidimus, & breviter Argentinensis Academia sub Jaschii nomine in examine Fundam. fidei DD. de Walenburg. pag. 1. tract. 2. §. 11. his verbis complectitur.

Nostra quidem omniumque sapientiorum sententia, quisquis scripturam non in superficie pertransibit, sed solers in illa explicanda adhibebit scrutinium, imperante (non tantùm judicante, vel approbante Christo) hoc est, quisquis devotè & candidè, invocato Domino universi, qui est ὂν ὄντων, *omnibus circumstantiis exactè consideratis, verba textus, dicentis consuetudinem, prius & posterius respicit, quisquis consequentias ex dogmate necessario fluentes, nullius affectibus indulgens, expendet; quisquis inquam, ut compendio sermonis omnia complectar, sensum scripturæ investigabit eâ diligentiâ, quâ vel aurifossor metallum, sive aurum, vel canis feram &c. ne ille omnem difficultatem superabit, clarissimamque videbit scripturam.* Date veniam Novatores, si li-

si liberè de vobis pronuntiem, non centesimum quemque inter vos hominem, talem tamque ab omni affectione expurgatum animum, tantumque laboris, diligentiæ, sapientiæque ad hanc rem adferre, quantum vos bonæ interpretationis censores rigidissimi ad fidem salutemque fidelium requiritis. Quid respondetis? An omnibus rectè scripturam intellecturis, hac opus diligentia? Si asseretis, rem postulatis à vulgo rudiore impossibilem. Si à doctis, aut minus occupatis tantùm: universalis lex non est, neque adeò veritati investigandæ necessaria. Verùm demus his regulis, juxta omnes vires gratiæ naturæque, utentem dari; an iccirco falli non poterit, cùm mille illi una in re ad errorem pateant viæ? Quid si enim minus rectè Dominum universorum oret? quid si ex tam variis circumstantiis aliqua investigantem fugiat? Quid si in collatione scripturarum, atque analogia fidei non constet, quæ sententia fundamentalis sit, ad quam reliquæ expendi exponique debeant? quid si fontium ignarus nesciat, an scriptura, quâ utitur, cum originali textu consonet? quid si hic etiam pluribus sese, indefinitisque sensibus offerat? quid si scriptura non ostendat, propriène, an metaphoricè, eo ubi sisteris loco, intelligenda sit? Quid si præjudicio depravatoque aliquo affectu nescius tenearis? Quid si probabilem solum consequentiam pro necessaria habeas?

Audes negare his te aliisque ad aberrationem viis obnoxium esse, aut usque adeò tui existimatione insanies, ut hæc omnia tibi formidanda non putes? Si verò tot tamque variis in scripturæ interpretatione erroribus exponeris, quâ conscientiâ te ab omni errore liberùm pronuntiabis, tuumque cum sacra Scriptura judicium certò congruere? & si in una aliqua scripturæ sententia, exponenda tot sese difficultates objiciant, quid in pluribus, sæpe necessariò ad veritatem indagandum adhibendis, fiet? Mirum verò quanta in illis certitudinis regulis instituendis incertitudo sit? Etenim de his definiendis inprimis non conveniunt. Whitakerus controv. 1. q. 5. cap. 9. inter necessaria rectæ interpretationis media cognitionem linguarum originalium collocat. Exciderunt igitur omnes spe certæ interpretationis colla-

collationis & intelligentiæ Scripturarum, quotquot illos ignorant; verùm necesse est, ut Ecclesiæ Doctoribus, errori obnoxiis, & propositæ, & expositæ rectè Scripturæ, fidem tribuant. Nituntur itaque fundamento dubio, ideoque incerti relinquuntur. Idem requirit debitas ardentésque ad Deum preces: sed preces istorum hominum indebitæ, frigidæ, ac peccatis inquinatæ sunt, ut fatetur Luther. in assert. artic. 29. & communis eorum doctrina est. Quæ spes igitur impetrandi restat illo opere, quo justam indignationem Numinis promerentur? Requirit præterea lectionem assiduam, meditationem, & contemplationem. Videlicet hanc præstabunt illi, qui perfractis Religiosorum claustris, liberis magis, quàm libris dant operam. Deinde faciamus hoc verbi præcones, ex lege sibi fixa, præstare: quid cæteris mortalibus futurum est? An hi alia via certi de recta Scripturarum intelligentia esse non poterunt? Accedit, quòd eos, qui his iisdem sese regulis ex amussim uti, in Scripturarum interpretatione, protestantur, errare compertum sit. Hoc enim tam de Calvinistis, quàm Anabaptistis Lutherani sentiunt, mutuâque hi vicissim accusatione perstringuntur.

Nullam igitur hæ regulæ sequacibus infallibilitatem præstare possunt. Denique incorruptum judicium, affectúsque ad hanc interpretationem requisitus, in Acatholicis non reperitur, ipsis hanc suam depravationem profitentibus; quòd radix malorum concupiscentia, omnium eorum corrumpat opera, neque tam sincera interpretatio Scripturæ fideique professio dari possit, quæ hoc vitio corruptionis non laboret: Quid ergo investigando laboramus, quando propria confessione rei tenentur? Postremò sic brevissimè causam obtineo universam. Qui has regulas & media rectæ interpretationis statuunt, homines sunt, errandi periculo expositi, errare igitur in his constituendis potuerunt. Libera proinde ab erroribus hæc media non sunt, adeoque nec certus ille, qui hæc interpretando consectatur. Si dicas ex S. Litteris has regulas figi firmarique: redit quæstio, Unde intelligas hanc esse Scripturæ mentem, quæ has vel singulas requirat, vel omnes, vel solas, quæque eo, quo tu vis, sensu infallibili determinet? Hæc mihi, ut certò probes, novis, eisque longè firmioribus regulis indigebis, absolves

nun-

nunquam. Accedit denique quod hoc tanto, tamque difficili interpretationis apparatu, ostendant suum quo nituntur fundamentum, de scripturæ claritate, falsum esse.

XV. Exemplo tamen breviter cognoscamus, quàm religiosè suas has Acatholici observent, sequanturque regulas. Ad hoc ut probent, omnia opera nostra, etiam bona, sordibus peccatorum inquinata. Illa velut fundamentali utuntur sententia Isa. 64.6. *Facti sumus, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

Hîc peccant 1. contra Analogiam fidei, quòd nihil in symbolo, aliáve diserta scriptura habeant, unde hunc, quem ipsi eruunt sensum, dirigant, aut evincant. 2. quòd in hac doctrina & interpretatione, non tantùm non consulatur divinæ gloriæ & proximorum ædificationi, sed derogetur plurimum. Quis enim neget derogari meritis & passioni Christi Dei, à quo redempti, in fœdis etiamnũ peccati sordibus hæreamus, & purissimo capiti membra impura sociemur? Quæ provocatio, ad bonum operandum, homini, qui novit à se nihil præterquam flagitia & offensiones divini Numinis proficisci? 3. Proprietas hîc quidem sermonis retenta est; sed ut mox patebit mutili. 4. Scopus antecedentium, & consequentium turpi exemplo negligitur. Agitur enim de Israëlitis Dei sui desertoribus, perversis omni scelere, ut patet cap. præced. 63. v. 17. & 19. & ex conseq. c. 64. v. 7. &c. Quid verò mirum, si peccatis adhærentium justitiæ immundæ Deóque ingratæ sunt? Conciliandus antè Deo est, qui placere in aliquo cupiat. His ipsa etiam *Oratio fit in peccatum*, ps. 105. 44. Ex his *non est qui faciat bonum, usque ad unum*. psal. 13. 3. At *cùm avertit se impius ab impietate, & fecerit justitiam, ipse animam suam vivificabit*. Ezech. 18. 26. Iniquinata verò non potest esse justitia, quæ vivificat. Et quomodo opera nostra bona, per peccatum infecta, ideoque mortua, fidem justorum vivam facient? an vitam, quam non habent, conferent? Aut vita cum morte eadem in re conveniet? 5. Aliam sedem Scripturæ magis propriæ hæc doctrina non invenit; & hoc in loco perversum de ea fertur judicium. 6. Regulam illam, quòd ex clarioribus obscura illustranda sint, prorsus hi Interpretes negligunt. Potuisset Christi intentio apud Paulum Ephes. 1. v. 4. hunc errorem corrigere: ut *qui eligit nos, ut essemus*

mus sancti, & immaculati, & exemplum Elizabeth Luc. 1. v. 66. Si pluralitas sententiarum spectanda sit, multis partibus nos vincere intelliges supra in Confess. c. 3. art. 5. Cætera hîc media parum profutura non tangam: in parvo exemplo, sat magna Acatholicorum vanitas patefacta est.

XVI. Juvat unam etiam regulam aliquam singulatim expendere. Primam statuimus ex *Dieterico loco cit.* de analogia fidei, juxta quam expendendæ erunt controversæ sententiæ. In hujus regulæ definitione primùm quidem adversarii Catholicorum dissentiunt; nam alii primorum quatuor œcumenicorum Conciliorum decreta ad hanc regulam admittunt, alii symbolo, Decalogo, & oratione dominica, tanquam adæquata analogiæ regula, acquiescunt, ii scilicet, qui his substantiales fidei morumque articulos omnes comprehendi existimant: quibus tamen à pluribus non acquiescitur; qui manifestas quoque divinæ Scripturæ sententias ad hanc normam admittunt. Et quæ obsecro poterit esse interpretantium certitudo, quando de norma ad quam exigenda est, certò nondum est constitutum? Exspecto illum, qui infallibili demonstratione ostendat, hac potiùs, quàm alia ratione normam hanc circumscribendam esse, quique, si cum Augustino non faciat (qui ut supra in observat. vidimus, veteris quoque Ecclesiæ sententiam requirit) eum manifesti erroris convinciat.

Deinde ostendendum erit, nihil in hac regula, quam statuunt, anceps esse dubiumque: alioquin si de ipsius regulæ sensu disceptetur, nova illi opus esset regula, ad quam ejus rectitudo expenderetur. Accipio, quòd nemo illorum repudiat Apostolicum symbolum. Hic articulus ille, *Ascendit ad cælos*, ab Ubiquistis contra reliquos omnes in diversum sensum rapitur, *descendit ad inferos*, à Calvinistis eo quem præfert sensu, rejicitur, ab utrisque *Una sancta Catholica Ecclesia*, quæ hactenùs à Christo usque audita sit, & in quam creditum fuerit, non agnoscitur, *Communio*, in illa *Sanctorum*, & *remissio peccatorum*, controvertitur.

Quare pro hac lite finienda, aliam nobis eamque infallibilem rectæ interpretationis regulam assignent, aut certè fateantur, talem præfigi ab ipsis nullam posse. Et verò si contendant hac nobis regula acquiescendum, in dubio certum nos pedem, contra omnem rationem, volunt

volunt figere. Prima sanè principia rerum credendarum extra omnem debent stare controversiam. Non jam dicam de reliquis Scripturæ sententiis. Quòd videlicet de iis nondum inter adversas partes convenerit, quænam tanquam indubitatæ pro regula fidei & rectæ interpretationis statuendæ sint, quod quamdiu non præstitum, & quisquis suo ex cerebro hanc regulam concinnat, vel cæco appareat, quæ possit esse interpretandi certitudo. Jam tamen si constet suæ illos regulæ, fixisque pro regula Scripturæ sententiis, manifestè contradicere, quis talem interpretationem non insanam potiùs, quàm analogam fidei dixerit? Vera hæc est apud Ubiquistas propositio. *Christus non ascendit ad cælos*, quia propriè sumitur, & cadit supra rei denominatæ substantiam: vera illa propriáque apud Calvinistas: *Non descendit ad inferos.* Utraque autem directè fidei regulæ contradicit. Sic in gravissimis quibusque controversiis invenies fundamentalibus Scripturæ sententiis adversari. E. g. Christus dicit Matt. 16. *Tu es Petrus* (seu Petra) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt &c.* Negant supra Petrum ædificatum, negant non prævaluisse contra visibilem Ecclesiam inferos. Apostolus Ephes. 4. disertè tradit, datos in ea *Pastores atque Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii:* negant id factum Acatholici, aut sæculis aliquot Pastorem Doctorémque purè interpretantem Scripturam auditum. Christus Luc. 22. de Eucharistico pane dicit: *Hoc est corpus meum*, Calvinistæ negant, propriè hoc esse corpus. Christus, Marc. ult. dicit de credituris post Apostolos: *Signa eos, qui crediderint hæc, sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient:* Acatholici negant hæc signa credituros sequi. Joannes 1. Joan. 2. ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, hic mendax est*: illi negant, custodiri à quoquam posse mandata Dei. Verbo, hanc per omnes controversias spargi contradictionem intelliges, ubi expenderis, quæ in Religions-Streit dedimus.

XVII. Demus etiam media rectæ interpretationis ad amussim adhibita, faciamus ex illis omnes esse ipsorum etiam frontium perspicaces indagatores, ponamus hos quoque incorruptos esse, faciamus nullo præjudicio, nullóque depravato affectu non tantùm occupatos, sed nec occupari

qui-

quidem posse (quod ipsum requiri videtur, ut extra omne subsistant errandi periculum) nondum tamen securi de veritate, & convenientia sui sensus confessionisque cum Scriptura esse queunt. Etenim cùm è S. Scriptura, ex se naturaque sua plurium significationum capace, alii atque alii sensus erui *in* rebus controversis possint, ut tot oppositæ Religionum diversarum sententiæ, manifestâ experientiâ demonstrant: quo argumento certo evincent, hunc quem ipsi sibi deligunt sensum, indubitatum verúmque tantum esse: fallere, atque in errorem ducere ceteros? Et ut pauca quædam ipsis præstanda commemorem.

Si per collationem locorum Scripturæ S. (quæ diversis eundem sæpè fidei articulum sententiis pronuntiatisque tangunt) suam stabiliant fidem, tenentur ostendere primò, hanc collationem sententiarum nihil mutare in sensu ac significatione verborum, quam illa propriis in locis, in ordine atque adjunctis aliis possidebant: nam omninò proclive est his mutatis, vim sensumque etiam variari, aut certè demonstrandum hanc significationem, quam translatæ collatæque phrases obtinent, à Spiritu S. intentam esse. Hoc verò nisi per aliud verbum Dei fieri non poterit, cùm verba hominum errori maneant obnoxia. Tenentur igitur ad rem suo etiam judicio impossibilem, cùm aliud verbum Dei præter scriptum non agnoscant. Tenentur secundò ostendere, quando unam Scripturæ sententiam per alteram tanquam magis propriam, aut claram, aut definitam interpretantur; infallibile illud esse; quòd hæc sententia ad alterius expositionem à Spiritu S. destinata sit: nam si humano id solùm delectu judicióque fiat, quis non intelligat errori hoc esse expositum? c. c. docendum hoc Christi dictum: *Ego & Pater unum sumus*, ad alterum illud: *Pater major me est*, exponendum adhiberi ita debere, ut illud de natura potiùs divina, quàm hoc intelligendum sit. Iterum hanc Pauli ad Rom. 2. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, illi Jacobi 2. 24. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*, in obvia disertáque significatione præferendam: Rursùm: juxta illam, *Ego sum vitis vera*, hanc quoque tropicè accipiendam, *Hoc est corpus meum*. Quæ si ratione solùm propria, non verò infallibili verbi Dei testimonio præstent, jacent omnia, certitudine exciderunt.

Quod

Quòd si uni, eodémque loco depromptæ Scripturarum sententiæ insistant, quæ in controversum sensum abstrahatur; tenetur tamen ex alio scripti verbi loco demonstrare, suum potiùs, quem urgent sensum, à Spiritu S. quàm alium quemlibet intentum esse: nam si proprio solùm judicio rem hanc definiant, etiamsi ad ravim usque pro clara Scriptura contendant, nihil supra humanam fidem adferunt; possunt errare. Iterum quando ex loco Scripturæ explicito, qui totum fidei articulum expressè non continet, aliud implicitum per consequentiam deducunt, tenentur demonstrare, hanc suam illationem veram potiùs esse, quàm tot adversariorum aliud ex illo inferentium. Quod cùm rursum aliter, suâ sententiâ, nisi per scriptum Dei verbum præstare, ad infallibilis veritatis defensionem, non possint: pugnant secum ipsi, quando humano tantùm judicio his potiùs, quàm illis consequentiis adhærescunt. Erunt fortè, qui omnibus exclusi præsidiis, ad Spiritum S. in cordibus suis loquentem, testimoniumque conscientiæ suæ confugient. Sed irritum planè subterfugium hoc esse facilè evincam.

XVIII. Licèt absque spiritu veritatis, omnibus in Christum credentibus necessariò fides subsistere divina nequeat; tamen cùm ab illo spiritu divinæ Scripturæ processerint, tam vario fœcundóque sensu, prout nobis illæ proponuntur: tenentur illi, qui alios ex his sensus, præter illum, quo suæ Religionis articulum probant, falsitatis damnant, hujus certum habere veritatis testimonium: quod ex scripto Dei verbo, juxta adversarios, erit depromendum. Nam si ad privatum, atque intus sibi in animo loquentem spiritum cum Enthusiastis confugiunt, secum pugnant, & admittunt aliud Dei verbum, quo instruantur, præterquam scriptum.

Deinde, Deus non adversatur in ipsis fidei principiis rationi nostræ, cùm illa sit prima veluti manus, quâ hæ legis divinæ tabulæ acceptandæ sint. Hæc verò cùm ostendat, proprium persæpè judicium fallere, & omnes ex S. Scripturæ interpretatione privatâ, & spiritus divini arrogatione hæreses prodiisse; non potest hic internus spiritus, ad rationem expensus, nos in conscientia securos relinquere. Adhæc cùm adversarii doceant, hunc spiritum ad S. Scripturam

con-

conferendum, expendendumque esse: num satis cum eadem conveniat; tamdiu enim non fallere, quamdiu cum illa concordat: quomodo, si de spiritu dubitet, ex dubia scriptura eundem confirmabit? & quo pacto convenire is poterit, cùm determinati sensus, sententiæque sit, scriptura verò multiplicem complectatur? Denique spiritus ille veritatis mentiri non potest, aut fallere: at multi, qui se illum possidere spiritum certo conscientiæ testimonio rati sunt, deceptos sese denique senserunt. Ipse harum controversiarum antesignanus Lutherus, non omnia, quæ primo ad solam scripturam, ab Ecclesia averso spiritu probabat, vera deinde habuit. Et tamen quis illum alio cœpisse hanc discessionem spiritu, quàm absolvisse credat? Concludant Novatores. Ego certus sum, eundem non posse erroris ac veritatis esse spiritum. Fieri tamen potest, ut non minus firma adhæsione intellectus affigatur rei falsæ, quàm veræ, si ratio assentiendi in apprehensione mentis eadem sit. Ita enim hæreticus, qui assentitur rei falsæ, ob illam causam, quia hanc à Deo revelatam esse apprehendit, non minus firma apprehensione adhæret objecto rei falsæ, quàm alius, qui ob eandem revelationem Dei, assentitur rei veræ. Ratio enim movens assensum in utriusque intellectu eadem est autoritas apprehensa Dei revelantis. Ut proinde ex hac adhæsionis firmitate nemo de veritatis possessione certus esse possit, cùm hæc errori maneat obnoxia. Unde & Calvinus asserit lib. 3. Inst. cap. 2. §. 11. *Reprobos interdum simili ferè sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio ab electis differant.*

Quodnam igitur argumentum adversariis relictum est, quo intelligant, se præ cæteris omnibus spiritum veritatis esse assecutos? Nam si errare in hujus spiritus discretione possum, quo pacto evincam ipso memet facto non aberrare? quę multos fefellit persuasio, quomddo fallere me non poterit? Si Lutheranus, aut Calvinista sit, qui aliquando ad Romanam fidem transeat, nonnunquam ab eadem ad suos sese recipiat, quid fiet? sempérne aberravit in illa persuasione, ac possessione veri spiritus, an nunquam? an modò aberravit, modò sapuit? Certè admittes, hunc aliquando suæ fuisse conscientiæ testimonio falsum. Quocirca necessarium est, ut à spiritu hoc interno probando denique Novatores ad S. Scripturam revertantur,

rantur, atque in convenientia illius cum hoc spiritu omne veritatis exploratæ robur constituant, adeóque in motas supra difficultates revolvantur. Eilbrachtus omnem penè religionem expertus, in Calvinisticæ scholæ Epanorthosi c. 22. annot. 11. id agnoscit. *Sæpè enim*, inquit, *contingit, ut qui aliquamdiu erroneam opinionem approbarunt, quòd eam S. Scripturæ conformem esse in sua conscientia judicarent, tandem tamen meliùs edocti sententiam mutent, abjectóque errore veritatem amplectantur, eóque pacto testatum reddant, se S. Scripturam, ejúsque divinam authoritatem, non tantùm aliorum hominum, sed etiam proprio suæ conscientiæ judicio & authoritati anteferre.* Rectè verò admittit primùm, errare posse, qui suum judicium cum S. Scriptura conforme judicant. Deinde eosdem S. Scripturæ authoritatem propriæ conscientiæ testimonio, correcto errore, præferre posse. Hoc est, ut juxta adversarios interpretor, S. Scripturæ sensum, antè non cognitum, demum agnoscere, etiamsi proprium judicium obluctetur. Unde consequitur juxta illos, & errare aliquando illum, qui proprium judicium cum Scriptura convenire sentit; & veritatem assequi, qui difforme illud esse experitur. Vana igitur atque inutilis hæc futura etiam comparatio est. Postremò ut testimonium illud spiritus prorsus commentitium intelligas. Vide, unde procedat. Nempe ex testimonio hominis proprio, quod præsumitur falsum, teste Christo, Joan. 7. Quod ipsum in Anabaptista fictum esse Lutheranus contendit, quod in proprio etiam fidei consorte (quem errori obnoxium concedit) aspernatur. Quare & Catholicis ignoscetur, si nec jurato quidem credere possint Acatholico, certitudinem interpretationis suæ ex privato spiritu adstruenti. Quis enim jure sibi fidem dari postulet, quam cæteris derogat universis? Postremò cùm Paulus dicat 1 Cor. 12. *Divisiones operationum esse* inter fideles, *nec omnes interpretari*: qua fronte hoc sibi privatus quisque vendicabit? Nonne & Doctores Ecclesiæ audire jubentur? at qui certus est, se spiritu veritatis duci, quomodo Doctorem audiet, quem scit falli posse ac fallere? En quam præpostera privatus ille spiritus complectatur!

XIX. Nec quidem, si illo suo potiantur, utanturque ad hanc litem definiendam spiritu, salva illis atque integra res fidei futura est. Nam ad veram Religionem articuli omnes

ad fi-

ad fidem salutemque requiruntur necessarii, uno enim deficiente, salus tota intercidit. Veteres Hæretici uno etiam articulo devii ab Ecclesia fidelium seclusi fuere.

At tantùm abest, ut hosce Novatores articulos teneant, ut nec hactenus quidem inter illos convenerit, qui ad salutem credentibus necessarii, qui liberi relinquantur. Præclarum hac de re exemplum superiori nobis anno reliquit Hassia; quando (ut in part. ult. p. 10. &c. prolixius expono) Marburgenses Calvinistæ, & Rintelenses Theologi Lutherani, Concordiæ gratiâ, statuerunt; articulos fidei in quibus utrique à se invicem de baptismo infantium, Sacramento Eucharistiæ, aliisque sententiis dissentirent, substantiales non esse, nec salutem concernere: adeóque, his non obstantibus, Ecclesias una in fide sociari posse. Verùm illis hoc anno Wittenbergenses in Saxonia Theologi justam castigationem admovere; nos quoque brevem l. c. censuram adhibuimus. Verùm nec ipsis Wittenbergensibus censoribus possibile fuit, substantiales fidei articulos suis ita terminis circumscribere, ut plures pauciorésve definiri nequeant. Quare nemo illorum, de fide ac salute certus esse, recta ratione poterit. Alii enim tradunt articulos ad salutem necessarios in symbolo Apostolico contineri: alii orationem Dominicam & Decalogum adjiciunt: alii illa etiam, quæ quatuor primis synodis generalibus continentur. Et tamen articuli hoc tempore controversi, propter quos, & à se mutuo, & à Catholicis discedunt, ad divisionem fidelium hæresinque sufficere, adeóque utrimque inter necessaria rerum credendarum censeri videntur. Quid ad hæc asserunt? Suntne illi necessarii? Si affirmant; cur ex Scriptura hos omnes & solos tantùm ad salutem necessarios esse non demonstrant? Si negant; cur iccirco Catholicos sibi adversantes à vera Ecclesia segregant? At fluctuant incerti, tum quia plura alia ex S. literis disertè proposita, in necessariis fidei articulis non habent, tum quia nullibi S. literæ certò definiunt, quinam sint articuli necessarii, præter quos nulli alii ad fidei integritatem requirantur. Unde etiam quos alii necessarii dictitant, rejiciunt alii. Molinæus sensit in Novit. Pap. l. 1. cap. 52. n. 7. *Totum Dei servitium consistere in benefaciendo, & credendo. Illud in Decalogo, hoc in symbolo proponi, multosque etiam, nec hujus quidem notitia integrè imbutos, salutem consequi.* Crocius etiam in Anti Bec. tom. 1. cont. 3. sect. 9. num. 21. de iis,

qui ante Lutheri tempora in Papatu mortui sunt, ita pronunciat. *Non dico, quod omnes errores abjecerint, sed quod veritatem de gratuita peccatorum remissione propter solius Christi meritum sint amplexi, quo stante articulo, stat Ecclesia, & certa est salus.* Quidquid igitur præter hunc articulum credendum proponitur, non erit ad salutem, juxta Crocium necessarium: quidquid præter symbolum Apostolicum est, hoc Molinæus ad fidem non requirit, quanquam nec hunc quidem integrum. Mirum proinde cur propter hoc dissidium, quod de Eucharistiæ Sacramento Calvinistæ cum Lutheranis præcipuè exercent, secessione Ecclesiarum mutuâ, tanquam hæresi, discernantur. Sed neque de hujus articuli, aut necessitate, aut ad salutem indifferentia hactenus universim inter illos convenit.

Reformati in Polonia & Bohemia, & Augustanæ Confessionis homines, ad suæ communionem Ecclesiæ admiserunt, synodisque aliquot Sendomiriæ Ann. 1570. & Cracoviæ Ann. 1573. aliisque per diversa loca habitis, hunc articulum tanquam necessarium rejecere. Idem Ann. 1631. statuit synodus Charentonii in Gallia, his verbis. *Cùm Ecclesiæ Confessionis Augustanæ conveniant cum aliis Reformatis in principiis & punctis fundamentalibus Religionis, statuit synodus fideles dictæ Confessionis posse, nulla præmissa abjuratione opinionum quas tenent, &c. admitti ad cœnam.* Verùm hic toties attentatus dolus, quo Lutheranos suis adjungere student partibus (non se illis) hactenus apud homines defecatius inter Acatholicos sapientes, nondum successit. Certè in Germania ante Hassonovantes nondum utrique partium persuasum fuit, hujus dissensionis articulos necessarios non esse. Quod facto confitentur, ex clara sese Scriptura intelligere disertè non posse; verámne atque integram fidem profiteantur, an aliquos prætereant articulos ad salutem necessarios? Iterumque demonstrare se non posse, quod Catholici deficiant in articulis ad salutem necessariis.

XX. Si quis etiamnum ex adversariis restitet, seque clara Scriptura in suæ sententiæ defensione niti protestetur, hunc inexpugnabili demum argumento, & cujusvis apprehensioni exposito, sic constringo. Eadem scriptura est cum omnibus suis adjunctis, quaquâ demum ratione proposita, quæ in præcipiis controversiis Lutherano, Calviniano, Anabaptistæ, Tri-

theistæ, Ariano aliisque inter se dissentientibus objicitur, & tamen horum quique, cum sibi mutuò adversentur, oppositisque pugnent sententiis, solos se clarâque niti scripturâ contestantur, ipsam scripturam suamque conscientiam, atque in ea testimonium divini Spiritus allegant; alios omnes cæcis præjudiciis occupatos, perversisque ductos clamant affectibus, præterquam seipsos. Hoc cum altera illorum pars in alteram, argumentum intorqueat: quibus obsecro fidem adhibebis? Sanè, aut omnes, aut aliquos aberrare necesse est; cùm oppositæ sententiæ simul esse veræ nequeant. Ipsa igitur scriptura quæ hujus dissensionis solum atque unicum fundamentum adducitur, non potest esse unius determinatæ veritatis, se solâ, infallibile principium.

Quis enim neget, se labi hoc fundamento nixum posse, in quo tot malè fissos prolapsosque ante oculos intuetur? Ipsos, oro, unius sectæ, e.g. Lutheranicæ, homines de suis complicibus interroges, nunquid hos illo nixos Scripturarum fundamento certos de veritate subsistere pronuntient, adeoque fidere citra errandi periculum ipsis possint? Et subitò pernegabunt, verùm antè ad examen vocabunt sententiam, & num conformis Scripturæ sit, suopte judicio definient. His tu igitur ultimis judicibus qui nulli præterquam sibi addicunt certitudinem, quâ conscientia eandem addixeris? Etenim hoc de illis dilemma constituo. Aut hi ultimi errare etiam possunt, qui suos collegas in fide errare posse judicant, & sic denique omnes suomet judicio convincuntur erroribus expositi: aut nequeunt falli, atque ita hi digni futuri sunt, quibus & collegarum ceteri, erroribus expositi, & tota posteritas, ut veritatis incorruptæ repertoribus, assentiantur. Quod cum nemo præter ipsos sibi de veritate plaudentes, faciat; facilè apparet, quàm fallibili ab omnibus niti fundamento judicentur. Ridiculum planè atque insanum negotium, quod pugnantibus inter sese concurrant judiciis: quivis Novatorum firmissimè teneat, se tam clara disertaque nixum Scriptura infallibilem veritatem assecutum; & tamen quivis alius eundem certò affirmat, suo judicio aberrare posse. At errare non potest, qui infallibili veritate subnixus est. Nemo igitur alium præter seipsum hac certò niti judicat. Quare cum ultimus censor reliquorum, omnes aberrare posse, persuasum habeat, idemque de eodem omnes censeant, atque iccirco mutuas ex Scriptura

desumptas sententias, ad scripturam rursus expendant, in hoc certè quo conspirant omnes, de omnibus judicio, hoc est, *errare omnes posse*; quilibet tenetur acquiescere, neque suo se judicio eximere. Si autem se errare posse novit, certus esse nequit, quod de facto non errer.

Inexplicabilis hic planè, & plusquam Gordius est nodus, quo adstringuntur. Neque hic quicquam prodest, illa Spiritus interni distinctio, qui testimonium perhibet conscientiæ nostræ, & externæ professionis, quo aliis testimonium apprehensæ veritatis præsto. Quia abundè probatum est, suo quemque, à veritate, judicio aberrare posse. Errare enim ac falli posse, est judicii defectionem admittere, nullumque in mente habere veritatis indubiæ testimonium, nam ubi illud habetur, nullum relinquitur errandi periculum.

Concludo cum D. Augustino tom. 2. Ep. 222. ad Consentium post med. *Omnes hæretici, qui Scripturas in autoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac per hoc, non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligant hæretici sunt.*

Agnoscunt hæc denique non omninò pervicaces ad tuendum errorem Adversarii, ideoque in praxi ipsa finiendarum inter se controversiarum, ad Ecclesiæ Doctores & collectas ex his synodos convertuntur, ut eò circo minus dubitem veritati tam manifestæ concessuros universim omnes, ac publicæ tranquillitatis, conciliandæque religionis studio, operam mihi consiliaque addicturos. Si qui tamen hac in parte nondum sat efficacibus rationibus se victos existiment, hos ad *Augustinum* meum, ante plures vulgatum annos remitto: in quo unus ipse juxta Veteris Apostolicæ Ecclesiæ sensum, ex S. Scripturis hodiernas de fide controversias definit.

CAPUT IV.

Ostenditur extrema, cùm S. Scripturæ, tum rationis vis & necessitas, quâ Protestantes, si veritatem & salutem suam ament, Ecclesiæ Catholicorum accedere tenentur.

IAm non dubito, quin æqui animi judiciique Protestantes, quotquot has rationes expenderint, coram supremo conscientiarum Judice, & erroris vindice Deo, animadversuri sint, illis fundamentis, quibus Lutherus recens, atque ante illum deserto-

desertores Ecclesiæ Catholicæ omnes, novitias suas Congregationes erigere conati sunt, nisi sese tutò non posse.

1. Quomodo enim de veritate Scripturæ tuti sunt, quam ab Ecclesia inimica, multisque, ut ajunt, erroribus depravata accipiunt? Quomodo eisdem fundamentis, quibus hæreticorum quivis in sua nititur hæresi, ipsi veritatem securi tuebuntur? Quomodo originariis fident textibus, de quarum integritate, nulla apud illos est demonstratio? Quomodo plurimi cum his fontibus Ecclesiæ Doctorumque sententias conferent, quos minimè noverunt, in quorum expositione ipsi dissentiunt interpretes? Vel si claris dissectisque, & ubique consentientibus verbis, necessaria ad fidem scriptura proponit, cur ejusmodi ab adversariis Romanæ Ecclesiæ non eruuntur, suaque in luce proponuntur, quando hactenus nec unicus quidem Confessionis articulus, iisdem verbis sententiisque in scriptura divina repertus est? Quid? quod nec unus quidem per formales demonstrationes ex puro Dei verbo productus sit? Addo, nec unus quidem per infallibiles ex scriptura simul, & ratione consequentias formatus sit. Adjicio amplius; nec unicus demonstrationibus logicè invictis, quæ nulla æquivocatione fallaciaque laborent, ex solâ ratione, stabiliri potuerit. Articulum Confessionis suæ aliquem per formales, invictasque omni ex parte, consequentias deducat; aut formalibus, vel certè æquivalentibus Scripturæ verbis exprimat, quemadmodum à nobis est præstitum. Si hac in re nullius fallaciæ errorisque convincetur; dicemus, suam hunc Herculem clavam reperisse.

Quantum dedecus! centies provocatos, hæc nullibi præstitisse, nec seorsum, & paucis exhibita verbis demonstratione, posse impetrari. Ut jam denique nec humana quidem ratione, sua se in fide tueri possint, postquam divina autoritate tam manifestè destituuntur. Verùm necesse sit, ut ad occulta divini spiritus, suis in mentibus loquentis verba, seu ave confugiant. Et quando hoc etiam plures phantasmate delusi exhibentur; tunc ad Scripturam, non minus quàm antè incertam revertantur. Hujus consilii errorisque sui duces, dum Lutherum Calvinumque, nulla vocatione aut missione certa, quam probare mundo possint, delectos, temere sequuntur, & sibi quisque intelligentiam scripturarum incorruptam vendicat: nemo tamen est, qui vel certus esse possit, quænam universè

necessariæ sint rectæ interpretationis regulæ, aut si has noverit, securus esse possit, eas se, ut par est, omnes adhibuisse; aut, siquidem adhibuerit, eis infallibilem esse veritatem assecutum. Porrò cogitur hic cæco more palpare inter tenebras fidelium vulgus, nullis ad legendam imbutum literis, quod tantum abest, ut fontes ad certum judicium suæ cum originali textu convenientiæ formandum, adire possit; ut nec ipsis versionibus tutò uti queat, sed teneatur Prædicanti suo credere, atque inter Dei & hominis verba, admirabili & plusquam humana crisi, distinguere; illius denique propositionibus subniti, quas credit erroribus esse obnoxias. Denique tam rudes, quàm docti nondum inter se consentire potuerunt hactenus; quinam essent illi articuli, quos in clara hactenus proponi scriptura, contenderunt, & quorum vi ac veritate manifestat se victos, à Romana discedere Ecclesia professi sunt. Quot eorum sint, quique solùm necessarii, nondum hactenus una consensione decisum est, licet certum sit, illum, qui vel in uno necessario fidei articulo deficiat, condemnandum. Et hi tamen tot tamque diversis argumentis incerti homines, de salute se sua certos profitentur. Postremò, cùm jam omnem pro sua defensione ex Scripturis moverunt lapidem, tum nullum suæ cum S. literis convenientiæ argumentum afferre possunt, quod homo hæreticus usurpare non queat, ideóque vi illius, majorem quoque non possunt, quàm hæreticus, de veritate habere certitudinem.

Fierine igitur poterit, ut Protestantium quispiam, tam à ratione, à vero, à Deo, à propria salute, ab æternitatis negotio, à felicitatis atque infelicitatis extremæ momentis aversus sit, ut hæc non intelligat, non sentiat, non perhorrescat? Advertat obsecro mentem ad illud in quo stat præcipitium, si à vera aberrat fide, ab omni felicitate æternùm aberravit.

II. Videte tamen quantum illis largiturus sim. Faciamus tot tantasque rationes, quibus interpretatio Protestantium, convenientiæque cum prima veritate originalium scripturarum probandæ fundamentum nititur, firmas indubitatasque subsistere: nos tamen Catholici his ipsis tantò potius securiusque innitemur, quod & longè clariores potioresque pro nobis scripturæ, etiam ex adversariorum Bibliis depromptæ sint; ut in æternum talem nunquam ex sola expressaque Scriptura Confessionem producturi sint, qualem nos suprà,

citra

citra ullam interpretationem proprii judicii admistam, produximus. Deinde quod perpetua constantique scripturarum utamur sententia, atque à majoribus ad nos usque inviolata, & per tot hæreticos nequicquam oppugnata traditione innitamur. Tum denique quod ab obtenta possessione, nisi in dubio argumentorum robore submoveri non debeamus, etiamsi nulla pro nobis de legitimo illius usu ratio existeret.

III. Demus quoque & his ipsis nobiscum rationibus pares esse Protestantes: adhuc tamen suâ jure causâ adversum nos excidunt. Nam quisque illorum, secum tantùm de rerum credendarum articulis ultimo ac definitivo judicio statuere debet, judicando, an illa, quæ à Ministris, vel Ecclesia, seu Confessione credenda proponuntur, cum S. Scriptura conveniant. Adeoque de fide necessaria sint, nec ne. Catholica Ecclesia in eodem judicio formando multis partibus est potior quolibet Protestantium; cùm ipsa per suorum Doctorum Pastorumque consensum (etiam tum quando solus Pontifex, ut caput pronuntiat sententiam) ejusmodi convenientiam instituit, expendit, ac determinat. Quam definiendi in rebus controversis viam, communis in homine naturæ lux & ratio, omnium nationum & judiciorum usus, omnis Resp. omnis curia, omnis adeò familia quantumcunque barbara, & inculta, unius semper privati judicio ac decisioni prætulit, omnis hactenus experientia certiorem tutioremque probavit, ipsi denique Protestantes in privatorum quorundam diffidentium, de rebus fidei opinionibus, amplectuntur, & junctis suffragiis, in examine opinionum ad Scripturas, contra unum sententiam pronuntiant eumque, si resistat, ut hæreticum, suaque communione indignum membrum, anathematizant. Quæ sententia profectò non iniqua solum, verùm & tyrannica habenda esset, nisi privatum (quantumvis se cum S. literis consentire, dissentire verò ceteros juret) in errore versari, Ecclesiam minimè errare, firmioribus rationibus compertum esset. Quando igitur, tam certâ Catholici ad veritatem in rebus fidei explorandam incedunt viâ, ut hanc denique in subnatis controversiis, vel ipsos adversarios ingredi necesse sit: non imprudentis solùm, verùm & imprudentis pertinaciæ erit, huic sese tam manifesto ad veritatem explorandam experimento opponere, & privatis credere renitantiam sententiis, ex

qua non minus universorum, quàm singulorum salus ac felicitas dependet. Quod cum neminem omninò æquum veritatisque amantem hominem ausurum existimem; potius cogitabit & Lutherum justè ab universali damnatum Ecclesia, & se, dum ejusdem vestigia sequitur, nisi resipiscat, pari jure damnandum.

IV. Postremò demus etiam ultimum convenientiæ cum S. literis judicium à quolibet privato faciendum, atque in illo acquiescendum esse. Jam tamen securiùs multò incedetur Catholicorum, quàm Protestantium in viâ. Nam ponamus ita à Deo imperatum cuilibet fidelium. *Ne errore hominum seducaris, res de fide controversas, juxta scriptum Dei verbum, & verum illius sensum, veluti sententiam à me dictam, expendes ac definies; nullo tamen affectu carnis, aut judicio eidem adhærente, in partem, quæ cupiditati magis favet, inclinatus: nam animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2.*

1. Catholicus ubi clara, expressa, definitique sensus occurrit Scriptura, audiens Ecclesiæ, aut Doctorum ejus, vel etiam Summi Pontificis de rebus credendis sententiam, hac ad S. Scripturas collata; cum eandem esse, atque omninò cum illa convenire viderit, autoritate Verbi Dei impulsus, propositæ veritati assentietur, idque assensu infallibili, quia divina veritas atque autoritas non potest fallere. Talem autem assensum prudens & peritus S. Scripturæ investigator Catholicus, dum claræ expressæque Scripturæ habentur, semper elicit. Tum in primis, quando infallibilem universalis Ecclesiæ autoritatem, ob Spiritus S. assistentiam, ex promissione Christi agnoscit.

Vincit autem Catholicus in hoc judicio assensuque fidei tantùm Protestantes, quantùm cœlum à terris dissidet. Nam, ut ipsimet de se fatentur, assensum fidei non nisi fallibilem formare possunt; quia, licet objecta intellectui Scripturæ veritas infallibilis sit; ipsi tamen, & in vocum apprehensione, & in formando ex illis judicio, & verò proprioque verborum sensu investigando, tanquam homines, se aberrare posse, non diffitentur, & de facto, mutatâ ex iisdem Scripturis sententiâ, ut de se Eilbrachtus agnoscit supra c. 3. nonnunquam errant. Ergo Protestantes ratione hujus assensus fidei, qui fallibilis est, infallibiliter certi de sua esse fide non possunt

Neque

Neque tamen præter hunc assensum, actum alium intellectus, per quem formaliter certi reddantur, assignare possunt, & tamen per suam se fidem non tantùm certos de veritate, sed etiam de salute esse contendunt; adeóque in manifestam contradictionem delabuntur, & Catholicos solum securos constantesque sua in fide relinquunt.

Nam hi prævijs argumentis credibilitatis inducti, quibus certiora nulla potest præstare religio: ubi non tantum hoc esse Verbum Dei, sed & hunc definitum illius esse agnoverunt sensum, securi certique infallibili assensu, cui falsum subesse nequit, divinam veritatem amplectuntur.

Protestantes quia illa credibilitatis argumenta, saltem in sensu S. Scripturæ acceptando (qui nonnunquam in claris expressisque locis controvertitur & intorqueretur) respuunt, meritò infallibili fidei assensu destituuntur, & quidquid sibi de sua certitudine persuadent, phantasma est.

2. Catholicus, quando S. Scriptura à diversis partibus sentientium diverso in sensu sententiaque proponitur, non illa temeritate, quâ Protestantes hac in controversia solent, progreditur, sibique illum sensum deligit, quem privato ipse judicio solum esse certum verumque statuit, idque prætextu divini spiritus, sibi clarissimè ex scripturis perque illas loquentis, sed iisdem credibilitatis argumentis, quibus inductus scripturam Verbum Dei esse admittit, etiam hunc, quem sequitur, scripturæ sensum, præ quovis alio, sibi acceptandum sequendumque esse agnoscit. Neque enim traditionem majorem, & parentum hac in re instructionem, quam & illi à suis accepere proavis, neque Doctorum ante nos hominum scripta ac testimonia, neque veterum Patrum consensum, neque totius denique Ecclesiæ autoritatem, minoris in tradendo scripturæ sensu, quam ipsâ exhibendâ, æstimandam putant. Quod si illa igitur Protestantibus ad Scripturam S acceptandam sufficiat, & Catholicis jure etiam ad ejusdem sensum admittendam sufficiet. Nihil porrò pro se rationis Protestantes de necessitate acceptandi Verbi Dei, allaturi sunt, quod non æque Catholicis pro ejusdem sensu acceptando serviat.

Vincunt igitur hic rursum, controversis tantum scripturis insistendo longè Catholici Protestantes. Quia inprimis Catholici ubique magis obvium clarumque & usitatum

 scrip-

ſcripturæ ſenſum, præ illis amplectuntur, ut manifeſtum eſt in Confeſſione ſupra exhibita, ubi paſſim noſtra in S. literis, & controverſis ejuſdem locis doctrina in ſenſu obvio, ſine gloſſematis, verbis hominum, eorumque interpretatione elucet, caputque citius, quàm hanc veritatem refractarii omnes everſuri ſint. Unde, ſi nec parentum traditio & inſtitutio, nec ſcriptorum teſtimonia, nec Patrum conſenſus, nec univerſalis Eccleſiæ autoritas, nec ipſa talis doctrinæ poſſeſſio Catholicis ſubveniret; ſed, tanquam heri cum Proteſtantibus nati, ad eandem ſcripturam concurrerent, planiſſima tamen pro iſtis ſtaret ſententia. Nunc cùm omnia hæc etiam ſuffragentur, quis, niſi amens, aut perverſus obluctabitur? Hoc certum, teneri omnes in conſcientia, in re tanta, quanta eſt ſalutis æternæ, hoc amplecti, quod tutiſſimum eſt, quod dum Catholici præſtamus, ſecuritate, non bruta, ſed rationabili tutò fruimur.

3. Denique (attendite, quæ centies, pro reducendis ad veritatis agnitionem errantibus, indulgeam) ſi hactenus nulla eſſet utriuſque partis in ſcripturis interpretandis diſparitas: tamen adhuc Catholici longè vincerent. Nam ut utrimque conceditur: *Affectus, & intellectus rectè judicantis, in ſcriptura controverſa, favere ſpiritui potius debet, quàm carni; quod animalis homo non percipiat illa, quæ ſpiritus ſunt.* Jam ego univerſum orbem, ipſoſque adeò Proteſtantes, hac in re Judices conſtituam; ut videant, enuntientque: utra partium, in ſua ex S. literis hauſta, fidei doctrina, magis carni addicta ſit. Dicant, utrum magis carni faveat, ſuâ libertate ac judicio conſtituere ac definire omnia, quam Eccleſiæ imperium, judiciumque obſervare, ſuumque illi ſubmittere, poſtquam ſemel ex S. literis ipſius infallibilem autoritatem agnovit? Utrum, ſtatuere, ſola fide aut fiducia in Chriſtum Deo ſatisfieri, adhoc, ut juſtificemur, certóque ſalvemur; quàm negare, hoc in adultis ſecluſo bonorum operum, noſtrique ſimul laboris onere, ac merito, poſſe? Utrum decernere, quod credenti, ſibi per Chriſtum remiſſa peccata eſſe, ſatis hæc fides ad pœnitentiam ſit; an exigere, ut peccata etiam ſingulatim, cum adjunctis gravantibus, quantumvis enormia & pudenda ſint, ſacerdoti exponantur? Utrum, carni magis patrocinetur, concedere, quod Chriſtus ita ſatisfecerit, pro reatu pœnæ æternæ Patri, ut nihil nobis luendum reſtet; an, quod hæc nobis ſatisfactio, citra

noſtram

noſtram abſtinentiam, afflictionemque carnis non applicatur? Utrum blandius, Eccleſiæ Paſtoribus, Epiſcopiſque præcipere, ut continentes, etiam inter carnis ſtimulos ſint, ac Paulo ſimiles, uxore, ſi habeant, dimiſſa, curent ea quæ Dei ſunt, an ut liberis & uxori dent operam, deque his ſoliciti, curent ea quæ mundi ſunt? utrum carni optabilius, credere, quod quantumvis omni ſcelere coinquinatis, modò tantum fidant ſibi Chriſti meritis indulgeri omnia, ſtatim ab ipſo morte cœlum pateat; an quod debitâ nondum pœnæ ſatisfactione hic præſtitâ, alibi luendum ſit, inter pugnantes flammas quod hic neglectum eſt? Hæc aliaque noſtris ego adverſariis dijudicanda offero, ut ipſimet pronuntient, utra magis partium ſuâ ex S. literis ducta ſententiâ, carni & cupiditati lenocinetur: utri ex his animales potius, utri ſpirituales, qui omnia bene dijudicent, exiſtimandi ſint?

Unum eſt, quod adverſum Catholicos pleríque in ore ferunt, uni illos homini, Romano Pontifici, tanquam Deo credere: nam ut primum is de Cathedra, tanquam univerſalis Eccleſiæ Doctor, aliquid credendum præſcribit, quod ante hac etiam de fide non fuit, repentè omnes ad credendum obligari. Verum hoc in caſu, & Sum. Pontifex, & quilibet fidelis ita progreditur, ut longè ſecurius, quam à Proteſtantibus paſſim fieri aſſolet, incedatur. Componamus enim vulgus hominum, qui legendi imperiti, ſuos audiunt Prædicantes, cum Catholicis, qui Pontificem novi aliquid (quod rarum eſt) de fide decernentem attendunt. Illis utique concedunt, res credendas à Prædicante rectè proponi, & hos rectè apprehendere, ac credere verbo Dei poſſe. Talis itaque Prædicans cum duo præſtet: primùm imperito vulgo exponat, quod ſit verbum Dei; ſecundò eidem ſenſum verbi Dei, in rebus controverſis explicet; in utroque verò falli ut homo poſſit: tamen neceſſariò exiſtimant Proteſtantes idiotæ ejuſmodi ſatis de ſalute proſpectum eſſe. Quod ſi igitur unius Prædicantis propoſitio ſufficiens credibilitas, argumentum ad verbum Dei ejuſque ſenſum acceptandum alicui eſſe poſſit. Quis Catholico prohibeat, ut Pontifici, quem novit, nil niſi cum Doctorum Eccleſiæ, ſive extra, ſive intra concilium, approbatione, atque examine collationeque cum S. Scriptura, Sanctiſque Patribus facta decernere; quem que non agnoſcit, ut priva-

privatum hominem, sed legatum & Vicarium Christi, atque universalis Ecclesiæ, cui præsidet, caput ac vocem, quique nunquam hactenus in ejusmodi pronuntiatis, nisi ab hæreticis, erraſſe arguatur: imò ex sensu Ecclesiæ universalis loquens errare non posſit; cùm illa sit *columna & firmamentum veritatis*? En quanta hic concurrunt præsidia veritatis, quibus longè certius inducar, ut credam Rom. Pontificem mihi Verbum Dei, certumque ejus sensum potius exponere, quàm privatum, atque indoctum sæpe Prædicantem. Et si quisque sibi ex Protestantibus audet spiritum veritatis à Deo promittere; an audebit illam jure aliquo Pontifici Rom. derogare, tot sibi titulis præferendo? Planè sani hominis non est, tam manifestis rationibus obluctari.

CAPUT V.

Protestantes nulla demenstratione ex S. Scripturis per consequentiam ritè ducta, hanc Confessionem possunt evertere.

QUando à certo divinarum scripturarum præsidio se Prostantes destitui animadvertunt; tum ad rationis, ut putant, firmamenta se transferunt, Syllogismos instruunt, seque Sophistarum ac Dialecticorum artibus tuentur. In quibus, cùm valdè felices sunt, unam tantùm ex S. Scriptura propositionem formant, cui alteram ex ratione adjiciunt, itaque simul ex Verbo Dei, & verbo hominum articulos rerum credendarum inferunt. Qua in re defendenda nonnulli tam absurdi sunt, ut asserere audeant; conclusionem, quæ utramque inter se propositionem ex parte connectit, nil nisi purum Dei verbum continere; ut si ego album & nigrum juncta ejusdem coloris esse jurem. Videte heterodoxiam admirabilem.

1. Ex veteri novoque Test. contendunt. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, Deut. 4. v. 2. *Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi*. Deut. 12. v. 28. *Si quis aliud Evangelium annuntiaverit, præter id, quod prædicavimus vobis, anathema sit.* Gal. 1. *Superædificati estis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, &c.* Eph. 2.

Ex

Ex his, inquam, locis jure contendunt, solum Dei verbum debere esse ultimam regulam ac normam rerum credendarum; & juxta hujus clara & diserta verba, tanquam supremi Judicis sententiam omnes esse fidei nostræ articulos dijudicandos. Quam legem, ut primùm ad suos syllogismos vertuntur, tam manifestè violant, quàm manifestum est, conclusionem quamlibet ad utriusque propositionis in syllogismo præmissæ (quarum altera, ut ponimus rationis est) normam esse exigendam. Certè loca ante citata, omne verbum, quod Deus & Apostoli locuti non sunt, disertissimè prohibent (quamvis de solo verbo scripto nihil præceperint) ut mirum sit, quomodo homines prudentes hanc à seipsis dissentiendi vertiginem pati possint.

2. In hac Confessionum suarum per humanas divinasque propositiones facta illatione, rem exigunt à fideli impossibilem, ut videlicet is tantum inducatur ad assensum conclusionis autoritate Dei, quando vi illationis hæc non minus pendet ab autoritate hominis. Non enim propter solum loquentem Deum, sed & hominem assentitur, cum utraque propositionum integram conclusionis veritatem ita constituat, ut sublata alterutra, hæc infallibilis esse non possit. Quod tamen ad objectum fidei requiritur.

3. Receptum apud Philosophos axioma est, *conclusio sequitur partem debiliorem*, quando illa scilicet sine defectu materiæ formæque, vi utriusque propositionis, rectè infertur, (non enim hic agimus de syllogismis vitiosis, in quibus aliquando conclusio præmissis est verior.) Perinde ut catena, quæ ex ligneis ferreisque ansis nectitur, fortior esse in ligandi ratione nequit, quam ansa fert lignea. Tota enim solvitur, cum vel lignum solum dehiscit, etiamsi fortissimum in se ferrum complectatur; ita conclusio ex Verbo Dei, & hominis cohærens, tum prorsus concidit, ubi vel sola ratio humana fatiscit. *Bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Major igitur ex his propositionibus, quarum altera ex Verbo Dei est, altera ex ratione humana ad conclusionis assensum inducti fidelis certitudo esse non potest, quam ratio humana conjuncta præstat: quia sola hac deficiente, fides jacet, Præmissæ enim utriusque veritas, ratio motiva est assentiendi conclusioni.

4. Hujus

4. Hujus conclusionis sequela, cum ab homine erroribus exposito formetur, infallibilem cum præmissis in suo objecto connexionem non habet, quæ cùm de rebus fidei obscuris nobisque ignotis plerumque sit, neque Deum verbis suis hanc confirmantem habeat, (nam si clarum Dei verbum suppetat, frustra ad ratiocinationem vertimur) nemo securus esse potest, quod de facto ita syllogizans non fallatur. Neque aliam, ut ponimus scripturam habet, tanquam normam, aut Judicis vocem, ad cujus sententiam recurrat. Temerè itaque assentietur, tali conclusioni, tanquam infallibili verbo Dei subnixæ. Nam licet in objecto vera sit ipsa conclusio, tamen cum de bonitate consequentiæ Deus nihil relevavit, autoritate divina niti assentiens non poterit.

Alia vitia non prosequar, cujusmodi plura DD. Wallenburgici in sua Methodo recusa ann 1660. Et P. Mulman. in mysterio fraudis congerunt. In re enim manifesta totiesque demonstrata, non lubet verba prodigere.

Verùm tamen si ita Adversariis lubeat, & nobiscum theses Confessionum in punctis controversis per solidas demonstrationes ex verbo Dei simul & hominum formare propositum sit: certamen hoc, ut supra præfati sumus, non detrectabimus, modò prius confiteantur, se ex claro expressisque verbis concepto Verbo Dei, nec confutare nostros, nec suos exhibere fidei articulos posse. Hoc enim si suppetat, centies repetimus, exhibeatur; illo solo acquiescimus, frustraque ad syllogismos & rationem fallibilem nos vocari profitemur. Sed quandoquidem, hæc nequicquam iteramus, dent saltem demonstrationes, quas dialectica rejicere nequeat.

Moneo tamen ne ejuscemodi fallaciis instruantur, aut æquivocationibus aliisque defectibus scateant, quibus nullam demonstrationis speciem implent. Ut vulgatus hic eorum syllogismus est:

Quod utile est, ad hoc, ut homo Dei perfectè instructus sit ad omne opus bonum, hoc sufficit nobis ad salutem.

Sed *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum &c. ad omne opus bonum.* 2. Tim. 3. 16.

Ergo *omnis scriptura nobis ad salutem sufficit.*

In hoc syllogismo Coccejus de potent. S. Scripturæ longo imanique labore desudat, ut probet id, quod tali modo utile est, esse & sufficiens. Ut si ego dicerem, lignum utile est ad omnem cibum hominis excoquendum, ergo sufficit cùm præterea ignis, aqua, aliaque requirantur. Quis enim mortalium ignorare potest, quantum inter *utile ad omnia*, *& sufficere ad omnia* intersit? Hæc tamen sui erroris pertinax defensor, velut repentinâ cæcitate percussus, non videt. Patres aliasque scripturas aliud agentes, congerit, ut rem probet absurdissimam, *utile ad omnia* idem esse quod *sufficiens*: novaque veritigine, ad autoritatem aliorum confugit, cùm rationibus & demonstratione certandum esset. Ita mutamus quadrata rotundis. Quare sanando homini isti, aliisque eodem morbo correptis, paucos aliquos ad exemplum instruere syllogismos placuit. Stet ille pro Catholica Ecclesia, quem ex D. Paulo ad Timoth. formo.

Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. v. 15.
Sed *qui columnâ & firmamento veritatis nititur, non errat.*
Ergo *qui Ecclesiâ nititur, non errat.*

Quid ad majorem, quæ scripturæ est, dicunt? Plerique se effugere vim argumenti putant, si dicant, agi hic de Ecclesia particulari, cui præerat Timotheus, ab Apostolis, & ipso instructa. Quis non miretur! Ecclesiæ particulari infallibilitatem concedunt, universali negant: cùm experientia constet, & hanc & alias particulares defecisse, universalem nunquam; ut cui à Deo perpetuitas in veritate promissa sit. Deinde hic sine restrictione Paulus de Ecclesia loquitur, ut *domo Dei, & Ecclesia Dei vivi*: quæ prædicata, universalis omninò Ecclesiæ sunt. Sed urgeamus.

Illa est vera Ecclesia, quæ semper habuit Doctores & Pastores in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, &c. Eph. 4.
Sed *Protestantium Ecclesia non habuit semper tales.*
Ergo *Protestantium Ecclesia, non est vera Ecclesia.*

Quid

Quid ad hæc? Hic Protei omnem formam induent, & non reperient tales ab Apostolo requisitos in sua Ecclesia, qui in necessariis fidei articulis, cum illis conveniant, nec plures paucioresve tradant. In Waldensibus diu frustra accersendis sudarunt; qui & temporanei sunt, & in consiliis, Sacramentis, aliisque admittendis diffident, concordantque, ut olla cum cacubo.

Addo tertium.

Qui vult perfectè sequi Christum, vadit & vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus, Matth. 19.
Sed *Protestantes tales in sua non habent Ecclesia.*
Ergo *non habent tales, qui velint perfectè sequi Christum.*

Hic, ne tantùm suæ inuri Ecclesiæ dedecus patiantur, dicent fortasse Christum ironicè locutum. Non enim audent dicere mentitum esse: etiamsi aliud verbis, aliud mente gesserit, quod ex adjunctis claré non patesceret.

Hæ tamen similesque interpretationes apud illos autoritatem obtinent verbi Dei. Quis non stupeat hominem ratione præditum, ubi sua superbè tueri cœperit, ad tantam mentis cæcitatem devolvi posse? Tam præposteros non sperem me in Protestantibus lectores reperturum, siqui tamen fuerint, his ex lege argumentandi suscepta denuntio: nullam me eorum responsionem, nisi ex altera propositione Verbi Dei, & altera rationis demonstrativè illatam, aut debere, aut velle admittere. Quam nisi præstent, hoc loco manifestè causâ exciderunt. Verùm syllogismis abundè vicimus, si scripturâ, ut ostendi, vicimus. Nam ab illa hi dependent.

* * *

CAPUT

CAPUT VI.

Protestantes ex propriis principiis doctrinaque sua, Catholico-Romanam religionem tenentur amplecti, si veritatis æquitatis, pacisque amantes sint.

NOtum est, quâ causâ Protestantes à Catholica Romana Ecclesia se discessisse asserant; ut scilicet variis corruptam erroribus, ad veteris Apostolicæ Ecclesiæ decus, abstersâ deformitate, ex verbo Dei scripto reformarent, nihil in ea tolerarent, quod sacræ damnarent literæ; nihil admitterent, quod non probarent. Cùm verò sacrarum literararum campus ingens, multaque in sensu ambigua abstrusaque laterent, iis quæ claris tantùm disertisque verbis pronuntiarent sententiam; tum deinde quæ ex his infallibili deductione penderent, tanquam necessariis ad fidem articulis, standum decrevêre. Magno populorum favore consensuque hæc res cœpta, quod Verbi divini honorem publicamque Ecclesiæ utilitatem spectare videretur. Gravissimis porrò concertationibus inter adversarias partes res agitata; eò postremò deventum est, ut satis denique manifestum sit, quæ partium iniquâ defensione subnitatur, ac solâ tantum pertinacia repugnet.

Fateri enim coguntur adversarii 1. Teneri se, vi susceptæ reformationis professionisque suæ, vel ex puris scripturæ verbis disertè, in rebus ad fidem necessariis, suæ nobis confessionis articulos opponere; vel certè infallibili demonstratione ex S. literis deductos exhibere. Quorum neutrum hactenùs, vel in uno articulo præstitum esse, tam est manifestum, quàm certũ, neque Confessionem hactenus errare ullam, neque aliquem Protestantium reperiri, qui vel scripturam talem, vel demonstrationem producat. quidquid adfertur, ambiguis diversorum etiam Protestantium sententiis discerpitur: certè vim plurium sensuum complectitur, ut ex ipsis facilè scripturis, alibi aliter usurpatis, evincitur; ideoque ex verbo Dei scripto manet indemonstrabile; hunc, quem sibi quisque fingit, sensum, hoc loco, præ quovis alio, esse amplectendum. Quælibet Religionum Catholicis adversaria sensum qnem arripit, suisque tantùm sectariis probat, cùm pars opposita æquè, vel magis etiam solidè contrarium eliciat.

Quid hic faciat medius prudénſque rerum arbiter, niſi ut ſtatuat neutram pãrtium certa demonſtratione, ex ſola Scriptura, ſuæ inniti ſententiæ: neque à Catholicis ad hos tutò quenquam tranſire poſſe, niſi majorem ipſi oſtendant, in ſua probandi methodo, ſecuritatem.

2. Fateri coguntur, orthodoxam fidem nunquam in Eccleſia Dei penitùs collapſam, vel in uno etiam neceſſario ad ſalutem articulo. Nam ſi vel in uno intercidiſſet, de vera religione atque Eccleſia, contra quam *portæ inferi non prævalebunt*, conclamatum fuiſſet. Quocirca & illud concedendum eſt, pacem religionis æquam inter diverſas partes fieri nequaquam poſſe, ut de ſuis quæque Religionis Confeſſioniſque articulis nonnullos cedat, concedatque alteri repugnanti; ita enim ad novam quandam, atque hactenus irrepertam Religionem conveniendum eſſet, quæ cùm neceſſariò falſa ſit, diabolico magis quàm humano conſilio, ad perditionem, non ad ſalutem conciliarentur. Quòd ſi igitur verâ divinâq; fide ſociari cupiant, ad antiquam, nulliſque hæreſum procellis expugnatam hactenus religionem eſt redeundum.

Talem verò præter Catholico-Romanam aliam nullam oppoſitæ partes ſunt producturę, & ſi fortè ſecta aliqua Proteſtantium ſeipſam, ut antiquiſſimam, immutatâque ſerie deductam ab Apoſtolis auſit proponere, non tantùm à Catholicis, ſed Proteſtantibus etiam cæteris oppugnabitur, ut mille ſcriptis eriſticis mutuò ſunt conteſtati. Quibus nequicquam paucos Irenicos & conciliatores, Atheiſtas magis, quàm fideles, oppoſueris. Quare fieri non poſſe, ut ſuam Proteſtantes nobis offerant Eccleſiam, ad quam Catholicis tranſeundum ſit, tam certum eſt, quàm exploratum illos hactenus de ſubſtantialibus fidei punctis conſentire non potuiſſe, aut certè (non diſſimili errore) de non neceſſariis digladiari: neque hactenus conſtituiſſe: quænam illa, quæ tantùm ſint creditu neceſſaria? Illa igitur in Eccleſia ſolùm pax nobis relinquitur, ubi in ſubſtantia rerum credendarum ſumma eſt unitas. Cætera, quæ neceſſitatem fidei non ſpectant, ſalutem unitatémque non violant. Hæc etiam nolentes coguntur omnes admittere.

3. Fateri coguntur, non niſi in orthodoxa fide atque Eccleſia ſalutem reperiri: *qui* enim *non credit, jam judicatus eſt* Atqui certiores eſſe nequeunt, ſe in vera fide Eccleſiaque verſari, quàm quòd S. Scripturam ſoli ipſi, adverſus tot alios, certo infallibi-

liquę

liquesensu, in necessariis ad salutem articulis, assequantur: de quo incertos se etiamnum fluctuare, ipsa sua dissensione, & indefinito hactenus articulorum necessariorum numero apertissimè profitentur; ut qui ne quidem de symboli Apostolici articulis, eorúmque indubitata sententia conveniant, nondum constituerint, an Christus secundùm humanitatem ita ascenderit, ut hîc præsens simul manserit ? ad infernum, reipsa, an metaphorico tantùm descensu transierit ? & sintne hæc scitu ad salutem necessaria, an utrolibet sensu admittere liceat ? Quocirca ad illam fidem Ecclesiamque transeundum illis est; ubi hæc pericula salutis non incurruntur. Nam *qui amat periculum, peribit in illo.*

4. Sentiunt Dei voluntatem esse, ut concordia in Ecclesiam reducatur, idque per Reges ac Principes summos fieri postulant, ut qui ex officio ad hoc teneantur. Ita literis suis ad Regem Sueciæ datis testatus est D. Joannes Matthias Episcopus Protestantium Strengnensis An. 1656. 7 Mart. impressis Strengnesiæ, quas Zacharias Brochenius excudebat, unà cum Ramo Olivę illic edito, & Francofurtensibus nundinis vulgato. *Deus pacis,* ait, *nunquam secum disconveniens, vult ut nobis inter nos conveniat, ut unum sentiamus omnes, ut unum loquamur.* (p. 18.) *Hoc unicè intendo, quod Deo gratum, Ecclesiæ salutare, & Reip. omninò utile esse videtur; scilicet, ut S. Tua Majestas, pro authoritate, quam Deo in terris secundam habet, pias aliquas cogitationes suscipere digneris, de sanandis Ecclesiæ Christianæ vulneribus, & resarciendâ inter dissidentes concordia Ecclesiastica, prout decet verè Christianum Principem optare; & in eam curam incumbere, ut sepositis omnibus erroribus fundamentalibus, efflorescat aliquando Ecclesiæ status, & regnum Domini sub toto cælo amplietur, &c. Tibi divina providentia tot provincias cessisse, & tot populos religionibus inter se discordes subactos esse credimus, ut sub Tuo celsissimo auspicio cura & prudentia per veritatis & pacis vinculum in unum gregem aliquando coalescant.* p. 9. & 13. His addit Ramus Olivæ p. 112. *Principum officium est, ista omnia, quæ hactenus enumeravimus,*) pro reducendis ad orthodoxam Religionem aberrantibus,) *pro authoritate, quam soli divinæ secundam habent, promovere, atque ut fiant, quantum in ipsis est procurare.* Et rursùm Strengnensis p. 17. *Docet ipsa experientia, quàm perniciosum & exitiale sit malum in ipsis Rebusp. discordia civium, adeóque nec magis tolerandum, quàm membro-*

rum in corpore humano inter se dissidium. Certè non fert Dux belli suos milites, nec navis gubernator nautas, nec Dominus servos animis & operibus discordes. Hæc itaque illorum vota, constituto jam summo in Imperio capite, maximè ad illius curam officiumque spectabunt, & iniqui futuri sunt, quotquot tam justis ad concordiam universè reducendam conatibus sese objicient: præsertim cùm totius orbis judicio ipsorumque etiam obluctantium tacitâ confessione, & irrationabili defensione manifestum sit, quinam pertinaci errore hanc consensionem interturbent.

5. Porrò nullam in Christiano Imperio pacem concordiamque sine illa religionis harmonia stare diu posse, idem sentiunt Protestantes. Juvat Stregnensem audire rursum pag. 7. *Omne regnum*, inquit Dominus Dominantium, *in se divisum devastabatur, diversa quidem in religione sententia tolerari possunt, dum quieta, turbarum fugientes, & sic sine noxa sint rei. Interim tamen, ut nunc sunt comparata ingenia humana, nescio quo deterrimo Christianorum more fatoque, ex diversitate doctrina facilè in diffidentiam mutuam, nulla etiam jurisjurandi religione securam, in odia internecina, in convitia injuriasque, in seditiones denique & bella publica, eaque intestina, plerumque omnium bellorum maximè abominanda degenerant. De quo dubitare non sinunt, cum historia veteres & nova, tum ipsa totius Europa regna, qua ut bellis immanissimis non ita pridem arserunt omnia, ita primam mali flammam ex sacris dissidiis concepêre. Vnde liquidò constare potest, quàm res sit periculi plena, habere Imperium in populum, qui in diversa studia trahitur, & in discordantes circa religionem opiniones scinditur. Quietem enim politicam, sine pace Ecclesiastica rarò bonam, nunquam certè tutam, nunquam securam esse testantur annales, multi viri eruditi, & magni terrarum Domini loquuntur.*

Qui verò has bellorum turbas hactenus dederint, & quo pacto hæc cum Luthero in Germania, & sensim alibi subnatæ sint, neminem nisi historiarum ætatisque rudem potest latere. Quid igitur facto opus, ipsorum Protestantium definitione constat. Malorum utique fontibus erit occurrendum.

6. Summa ex hoc religionum dissidio in universum Christianum orbem manare incommoda sentiunt. *Hoc autem commodi* ait Stregnensis pag. 15. *exinde in Ecclesiam redundabit, ut cum illi, qui ab religione Evangelica alieni sunt, quibus nunc per nostras discor-*

discordias opprobrio exponitur, ne de illa discenda, recipiendaque vel cogitationem suscipiant (quis enim sibi persuaderi patiatur, ut ad eos accedat, quos inter se in factiones videt esse divisos?) cum gaudio & exultatione ex variis mundi plagis ad unitatem & veritatem accurrunt, &c. In statum verò civilem quam multiplices provenient fructus, si extinguatur incendium illud religionis Evangelicum utriq; jam parti perniciosum, longum esset recensere. De Protestantibus verò in æternùm sperari nequit, ut sua in religione conveniant. Siquidem omnium ætatum religionibus quotquot à Catholica defecere, id proprium, ut convenirent nunquam. Rem igitur sperant incompertam hactenus, si suam in alia, quàm Catholica Ecclesia sperant unitatem. Perpetua extra hanc lite (non vano illud vaticinio assero) collidentur.

7. Ipsimet Protestantes agnoscunt inter se neque esse concordiam, neque veritatem defendi: ut ulla deinceps, nisi mutato religionis studio, sperari non possit. Strengnensis Olivæ ramus dictis fidem faciet. *In Evangelicis*, ait p. 74. *Ecclesiis dolendum maximè. & amovendum (idque ex superbia & insolentia quorundam, qui solis sibi videntur sapere) scilicet controversia & lites in rebus sacris complures, eaque maxima cum animorum exacerbatione, tum verborum acrimonia exagitatæ &c. tot controversiarum volumina, tot clamosorum hominum, contumeliosæ calumniæ, tot declamationes stentoreæ, criminationes felle oppletæ, liquidò ostendunt, non divinam veritatem defendi, cujus oratio simplex esse debet, cum lenitate adversarios erudire, paucis absolvi: sed oleum & operam insumi & pessimè collocari in non necessaria altercatione, & otiosa verborum reciprocatione.* p. 78. Quare Magistratibus incumbere asserit, ut ejusmodi contentiones sua autoritate compescant, ut novitate abolita Catholicæ veritas Ecclesiæ reducatur p. 57. Eò inquit, *etiam nostro seculo, prô dolor, deventum est, ut Magistratus ipsi Politici aliquando sint causa, per accidens tamen, dissidiorum Ecclesiasticorum. Dum scilicet Concionatoribus clamosis, & Theologis turbulentis, cymbam Christi miserè jactantibus nimium indulgent, cùm obicem ponere possent. Illi enim pro authoritate, quâ pollent, à Deo sibi collatâ, in eam curam incumbere deberent, ut Pastores animarum in publico non nisi antiquam, Catholicam, perpetuam & necessariam veritatem, vitaque ex præscripto Domini agendæ officia, doctrina & exemplo commendent.* Nihil potuit rectius postulari. Illi doctrinæ atque interpreta-

tioni S. Scripturam, quæ antiqua Catholicáque, omnium locorum temporúmque, ad nos usque per continuos in Ecclesia Doctores Pastorésque (Eph. 4. & 1. Tim. 6.) traditione scriptóque traducta est, sine qua, neque ipsi Scripturæ S. authenticæ fidendum, huic, inquam, & Prædicatoribus & auditoribus verbi Dei insistendum, ad hanc vaga concionantium libertas & arrogantia erit adstringenda. quod nisi fiat, unitas nulla consensióque speranda est. Miseri profectò, cæcique Rerump. Domini, qui tam sibi turpiter ac protervè in salutis negotio à contentiosis hominibus illudi patiuntur. Viles sanè animas circumferunt, qui illas tam præsenti salutis suæ discrimini non subducunt, qui abjectis plerumque mortalibus, pretio sibi constituto inhiantibus, carni immersis, nullo Apostoli Christique consilio ad perfectionem enixis, nihil ad Christi imitationem sua in vita exprimentibus, tam præposterè adhærescunt; ut ab his, tam Christo Apostolisque difformibus, sese reformari patiantur. O præclaros custodes ovium, qui non nisi sanguinolento oris rictu, laceratisque gregibus, ac falsis alienæ vitæ criminationibus possunt inclarescere; quibus omnis pax invisa est, omnis charitas inimica! verè dictum. *Liquidò demonstrant, à se divinam veritatem non defendi.* Salutem igitur suam negligit, quisquis ab his ad veritatem non revertitur.

8. Agnoscunt, quòd S. Scripturæ interpretationem in locis dubiis obscurisque nec ipsi quidem doctissimi Protestantium satis assequantur, nisi eas juxta receptæ fidei regulam, judiciumque orthodoxæ Ecclesiæ interpretentur, eidemque submittant. Verba ejusdem sunt scriptoris p. 94. *Ac primò*, inquit, *statuendum existimo, non universæ Scripturæ interpretationes, atque inprimis locorum difficilium, quibus perplexiora theoreticæ Theologiæ dogmata contineri creduntur, absolutè necessarias esse Ecclesiæ Christi; eò quòd quæ ad salutem cuivis sufficiunt, clarè satis in verbo Dei exhibeantur; adeò, ut intellecta semper, ac ab omnibus Christianis recepta sint, & nunc quoque à quovis non factioso, sed Christi spiritui, & Catholico, Christianismi totius, præcipuè antiquioris, consensui sese submittente, satis intelligi, vel sine operosa interpretatione possint.* Ad hunc denique consensum etiam in claris (cùm ancipiti variorum interpretatione distrahuntur,) ultimò confugiendum est, qui nisi in Romana Ecclesia omnium temporum haberi non poterit. Pergit: *Nonne semper*

ſemper Eccleſiæ partem fecerunt, ac faciunt homines ſimplices, & cura ſingularem Spiritus S. illuminationem, explicationum operoſarum incapaces? Nonne inter eruditos etiam pauci ſunt, qui præſidia ad interpretationem Scripturæ neceſſaria habeant? ut ſunt præter divina adjumenta, Hebrææ, Græcæ, Syriacæ, Targumiſticæ, Latinæ linguæ, item phraſium his omnibus uſitatarum, rituum ſimul Iudaicorum &c. & alia id genus quamplurima, ſine quibus locorum difficilium interpretationes haud rectè procedere experti nôrunt. Quæ rariſſimè cuique contingunt omnia, & ii, quibus præcipuè creduntur contigiſſe, an non errorum, & poſtulantur, & convincuntur ab aliis? An vel duos in tanto eorum numero nominare poſſis, qui in omnibus inter ſe conſentiant? Quod igitur in tanta vacillatione ac vertigine remedium? Subjicit p. 97. *Invocato diligenter divino Numine, obſcura ex facilibus & apertis, ad fidei ab omnibus & ſemper receptæ analogiam amuſſimque, ſine ira & ſtudio interpretentur. Et hæ ipſæ tamen interpretationes non pro certiſſimis, aut divinis illico jubeantur recipi, ſed ut humanæ, & ab erroris periculo non prorſus immunes, Eccleſiæ judicio & libero cujuſque examini ſubjiciantur.*

Sublata lis eſt, & ad Catholico-Romanos redire omnes coguntur, ſi hâc viâ inſiſtamus, ſi ad fidei ab omnibus & ſemper receptæ amuſſim, ſi denique ad Eccleſiæ judicium, cum proprii judicii ſubmiſſione confugiant. S. ubique Scriptura valeat, ſed eo quem Patres, & perpetua Majorum traditio, quem Eccleſia omni ætate amplexa eſt ſenſu: non quem quiſque ſibi privatus, divino ut ſomniat ſpiritu, fingit. Perire illa, aut latere tota nunquam potuit, quæ veros ſemper Doctores Paſtoréſque (Eph. 4.) oſtendit. Ita ad priſtinam fidei integritatem, animorum conſenſionem, & dignam Chriſtianis hominibus unitatem revertemur.

* * *

CAPUT VII.

Refellitur insana quorundam desperatorum hominum opinio, qui in sua quemque fide salvari posse, statuunt.

VNum postremò adhuc dæmoni, mortalium seductori effugium relictum video, quo se suasque copias adversus tantam vim munitissimæ veritatis subducturus est. Hoc asylum olim, post natas in Oriente hæreses, Themistius quidam Sophista Valenti Imp. ostendit, ut apud Socrat. est, jamq; Turcæ latissimâ religione propugnant. Judæis etiam Christianisque ad suum cælum admissis: Machiavellus quoque in suis politicis amplexus est, qui arbitrariam cuique Principum religionem facit; hoc tamen suadet, ut in una religione colligantur, suoque Principi addicatur subditi.

Ceterùm multi hanc libertatem amplexantur, sibique in religione indulgent, rati etiam à S. Scriptura ad hanc rem non leve argumentum suppeditari, dum Christus nostræ fundamentum salutis dicitur, variisque locis in illum credenti vita promittitur æterna, ut Joan. 3. v. 15. dicitur. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret unigenitum, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Verùm ab his diversa senserunt olim Apostoli. Nam licet Hymenæus, Alexander, Philetus, aliiq; olim hæreticorum in Christum crederent: cùm tamen de resurrectione diversum ab Ecclesia sentirent Apostolica 2. Tim. 2. per D. Paulum manifestè damnati sunt. 1. Tim. 1. v. 19. *Habeas fidem & bonam conscientiã: quam quidem repellentes circa fidem naufragaverunt, in quibus est Hymenæus & Alex. quos tradidi satanæ.* Omnis retrò ætatum omnium Christiana Ecclesia, illos qui vel ultrò, vel Ecclesia pronuntiante sententiã à fidelium congregatione seclusi essent, dãnatos ac salutis expertes censuit. *Firmissimè tene, ac nullatenus dubites,* ait S. Fulgent. ad Petrũ Diac. de fide, *quemlibet hæreticũ sive schismaticum in nomine Patris & Filii & Spiritus* S. *baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunq; eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinẽ fuderit, nullatenus posse salvari.* Profectò qui hanc tam firmatam universæ Ecclesiæ sententiam, in supremo æternæ salutis negotio contemnit, vilis ani-

animæ profligatæque mentis homo est, quantumvis in auro & purpura ſpectandus ambulet.

Apoſtolus ab hac magis ſectariorum peſte averſus eſt, quàm à Gentibus, dæmonumque manifeſtis cultoribus fuerit. Unde Tito c. 3. hoc præceptum reliquit: *Hæreticum hominē, poſt unam & ſecundam correptionem devita. Sciens quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Ratio eſt, quòd perquàm difficilis eorum hominum converſio ſit, qui in tam manifeſta omnibus veritate, ſuâ magis pravitate, quàm ignorantiâ delinquunt. Ut apertiſſimâ proximæ ætatis experientiâ conſtat, quando unus Franciſcus Xaverius plus in India Gentium convertit, quàm Societas Jeſu, imò Catholica Eccleſia univerſa per Europam hæreticorum reduxit. Sed & alia magis etiam ratio impuliſſe Apoſtolum viſa eſt, quia *ſermo eorum, ut cancer ſerpit.* 2 Tim. 2. Semper enim ſpecioſo veritatis prætextu, humanæ cupiditati ſuas laxant habenas, carnique, ac promiſſæ ſimul ſaluti blandiuntur. Quæ cùm divini etiam verbi autoritate fulcire videantur, plenis caſtris & regionibus, unóque velut impetu homines rapiunt, qui tam blandæ religionis illecebris, quæ (ut de præſenti ætate loquar) Quadrageſimas in piſcibus tranſigendas, Confeſſiones rigida enumeratione exequendas, frigidos clero thalamos ſubeundos, aliaque carnis cruciamenta proſcribit, facilè ineſcantur. Quis enim per roſas, quàm ſpinas cælum adire non malit: neque illam audire religionem, quæ ſolâ fide ſanctitatem promittit, & cùm noſtris in operibus tantùm immunditias videat, in Chriſti merita totius ſalutis opus pondúſque reclinat? Hæc profectò Sirenes ſunt, quæ Ulyſſem poſſint in exitium abripere. Hæreticum igitur hominem, velut noxium & condemnatum, jure Apoſtolus devitandum cenſet, ſi admonitus non reſipiſcat: ideoque illum electorum conſortio, qui ſociat Paulo & veritati, contradicit.

Rurſum, vel erraſſe totam hactenus Eccleſiam in damnandis hęreticis neceſſe eſt; vel tales indifferentis religionis homines in errore verſari. Sed quis illam erraſſe ſentiat, cùm Arium ejuſque ſectarios proſcripſit, quòd Filium Patri conſubſtantialem negarent? cùm Neſtorium, ejuſque aſſeclas, quòd duas in Chriſto perſonas ſtatuebant? cùm Eutychen, ejuſque ſymmiſtas, quòd carnem Chriſti in divinitatem transformatam dicerent? cùm Apollinarem, ejuſque diſcipulos, quòd ipſum Dei ver-

bum, loco animæ, carni Chriſti unitum aſſererent? cùm Monothelitas, quòd unicam tantùm voluntatem & operationem in Chriſto ſtatuerent? cùm Macedonianos, quòd Spiritum S. Filio facerent minorem? cùm Pelagianos, quòd ſublato originis peccato, hominem naturæ viribus ad ſalutem pervenire poſſe contenderent? cùm denique Novatianos damnavit, quòd lapſis pœnitentiam negarent; ita de omnibus hæreſibus uſque ad hæc tempora natis, perque Eccleſiæ Concilia & damnationem exciſis, ſciſcitabor. In quibus ſi quis totam Chriſti Eccleſiam erraſſe, ac labore ſtudióque irrito deſudaſſe affirmat, ille profectò, dum ſolus ſibi videtur ſapere, ſolus delirat, jure damnandus ab omnibus, quïa neminem hæreticorum damnat.

Præterea, ſi in Deum Chriſtumque, juxta ſymbolum Apoſtolicum credere, ſatis ſit (ut hi ferè aſſerunt) ad ſalutem, cùm tam diverſo hoc ſymbolum ſenſu, a diverſis ſumatur; ut ſupra vidimus: fieri poterit, ut qui contrariis eoſdem articulos ſenſibus credant, verâ tamen fide cenſeantur credere. Quod, quid aliud eſt, quàm admittere, contraria ſimul eſſe vera poſſe? aut certè non requiri in homine, ut vera credat; ſed falſa etiam credentem ſalvari poſſe: adeóque non Chriſtianos tantùm, ſed & Gentiles ad hoc indifferentium cælum cogitur adſcribere. Quod eſt fidem de fide tollere, falſitatémque cum veritate in pari throno collocare.

Porrò hæreticorum ipſorummet hac in re ſententia huic Libertinorum ſectæ adverſatur, dum à ſua doctrina diſſentientes, hæreticos damnatóſque proclamant: ſoli Calviniſtæ, quò longiùs à Catholica veritate deflectunt, tantò magis ad hanc indifferentium ſectam, atheiſmo non diſſimilem, abeunt: nec tam ſolliciti de ſalute, quàm ut politicum ſuæ religionis corpus firment, parati ſunt Lutheranos in ſuæ Eccleſiæ ſocietatem admittere, vario hactenus conatu perſuadere niſi, nullo ſubſtantiali fidei articulo ſe ab illis diſſidere, quanquam præcipuum Chriſtianæ Religionis, ſalutiſque noſtræ in terris pignus Euchariſtiæ Sacramentum (ut de Baptiſmo ſileam,) præſentiâ Chriſti ſpolient. Verùm fruſtra hic labor ſumitur, quando nunquam compertum eſt, hæreſes ad unitatem, ſed majorem tantùm diſſipationem vergere, aliis aliiſque ab hac ſemper hydra capitibus ſubnatis.

Ipſi denique indifferentes inter ſe conſentire hactenus non potuerunt, quando nondum inter illos convenit: omnéſne

prilcæ

priscæ atque hodiernæ hæreses, quæ in Christum crediderunt, an quædam tantùm admittendæ sint? & quinam isti articuli fidei sint, hactenus non controversi, qui solùm ad salutem necessarii sint? & an nulli in his, qui deinceps inter partes controverti ex Scriptura nequeant? Hâc igitur sententiarum suspensione, aut pugna, satis probant, se in errore versari.

Nascitur verò hæc tam desperata, suisque tantùm cupiditatibus favens opinio, cum ex vitæ liberioris improbitate, cujus in se, ad rigoris Catholici leges, emendationem desperant, ideoque à persuasa hac Dei benignitate, & Christi, quibus fidunt sibi omnia condonari, meritis, suæ libertati blandiuntur: tum ex imbecillitate argumentorum, quâ cùm vident, in suæ se causæ defensione succumbere: aliud effugium præsentius non reperiunt, quàm ut has disceptationes, de rebus ad salutem minimè necessariis susceptas esse contendant, ideoque suæ quemque existimationi tutò relinqui asserant, modò à fidei fundamento non discedat. Verùm, ut nullum sua improbitas, & tam perversa in scelere fiducia meritorum Christi tuebitur; ita velum hoc desperatæ defensionis nulli profuturum est. Cùm sibimetipsis tales contradicere in animo necesse sit, quoscunque enim vident aliorum, contra alios, suam separare Ecclesiam, partésque adversas tueri, hos nôrunt iccircò hoc facere, quòd alios sentiant, cum salute pugnantia tradere, ideoque in illa fide morituros non salvari. (Nulla enim præter hanc separationis justam causam agnoscimus.) Indifferentes verò sentiunt eosdem salvari posse. Pugnant itaque sententiis cum illis in fide, quos tamen in una secum Christi Ecclesia ac fide volunt convenire. Quod facere ac sentire, planè est contradictorium. *Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma, unum corpus, & unus spiritus* Ephes 4. *est*, cum qua unitate ista dissensio in fide, *sine qua impossibile est placere Deo*, non subsistit.

Audiant Doctorem Gentium 2 Tim. 3. *Quemadmodum Ioannes & Mambre restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Et ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio &c. dissensiones, sectæ (vel hæreses) quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Quòd verò indifferentes fundamentum esse Christum dicant,

cant, rectè sentiunt, verùm in solo fundamento tota non consistit Ecclesia. Fides quidem in Christum, cæterorum in fide articulorum est fundamentum, sed qui Christo credit, omnibus ipsius dictis institutisque fidem adhibeat necesse est. Qui enim in uno deficit, factus est omnium reus. Certè, nisi nos fallat Apostolus 1 Cor. 11. v. 29. *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*, quas tamen ab Ecclesia Christiana tollunt, qui docent, omnes in Christum credentes servari posse: cùm nemo hæreticorum in hunc non credat. Augustinus vix existimat hominem sanæ mentis inveniri posse, qui id sentiat. Unde hæresi 72. inquit: *A Rhetorio quodam exortam hæresin dicit* (Philaster) *nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat; quod ita absurdum est, ut mihi incredibile videatur.*

Et verò quis ejusmodi sibi fidem persuadere patiatur, quam nefas ducimus publicè profiteri! quâ semel admissâ fatendum sit, impiè perversèque religionis causâ tot lites, dissidia, bella suscepta esse: delirare universos, qui sibi in rebus fidei contradicunt; Deum ipsum, & erroris, & odiorum fidei causa susceptorum, non autorem modò, sed fautorem, promotorémque per diversas scripturas esse, & charitate ac unitate Ecclesiarum scissâ, delectari, ac probare hæc dissensionum capita; quando omnes ipse una in fide amicè complectatur eos, qui à seipsis inimicè diffident.

Sed, quid cum ejusmodi hominum genere contendimus, quando adeò dementes sunt, ut licèt in Catholica Religione veram esse salutem agnoscant, suæ tamen libertati stolidè addicti, redire cunctentur, unde se, aut Majores suos, haud multò antè, digressos intelligunt. Quàm enim non temerarium modò, verùm & insanum est, illic cum salutis discrimine persistere, ubi nec hæreticorum quidem opinione salutem exspectare possunt; huc redire nolle, ubi & suo, & aliorum judicio salutem reperiunt.

His præsentem Tractatum concludo, aliumque de reductione non difficili aberrantium per SS. Patres, confessionésque ipsorummet adversariorum, quòd hi partibus Catholicorum adhæreant, in aliud tempus opportunum reservo, atque interea quondam à me, recto anagrammaticè nomine, *Ioannem Semanum*, pro hac causa exaratum, adire licebit, eumque vel

vel ſequi, vel illius rationes, hactenus inconvulſas, elidere. Illam ſolum animadverſionem additam velim: quòd hanc *Methodum conciliandæ pacis*, ita inter partes ſuſcipiendam autor iſte ſuaſerit; ut à Sedis Apoſtolicæ approbatione non avocaret; ſed hac admiſsâ ratione, rectè ad eandem quoque audiendam viam ſterneret. Nunc quemlibet in diſceſſu oro, hortórque, ut ſuæ, alienæque ſalutis curam impenſè mecum ſuſcipiat:

Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

Matth. 16.

APPROBATIONES.

JUDICIUM RECTORIS MAGNIFICI UNIVERSITATIS COLONIENSIS.

MEditata ex Dei Verbo Proteſtantium cum Catholicis, in unitate fidei, Auctore R. P. JACOBO MASENIO, Societatis JESU Presbytero, Concordia, ita concorditer, nervosè, nitidè, cum dicto Dei Verbo conſpirat, ut citra ullam fidei & bonorum morum offenſionem, Proteſtantes Catholicis unire, ſupremúmque ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi tribunal, publico typo mandata, ſubire mereatur. Dabam Coloniæ 2 Aprilis 1661.

LAURENTIUS PELLIONIS, *SS. Theol. Doctor, Vniverſitatis Colonienſis Rector, & Vicarius in ſpiritualibus Generalis.*

CENSURA ORDINARII.

MEditata Concordia Proteſtantium cum Catholicis in una Confeſſione *Fidei per A. R. P.* JACOBUM MASENIUM *propoſita & explicata, fidei aut bonis moribus neutiquam contraria, quin potiùs ad reductionem errantium utiliſsima, typis committi poterit. Colon. 1 April. 1661.*

ADRIANUS DE WALENBURCH, Metrop. Colon. Eccleſiæ Presb. Canon. & Cenſor Lib. ordin.

APPRO-